I., De nummi diversi genere.

II. de dignitate, jucunditate & utilitate studiu. numa-

ritatis. p. 38.

CHRISTIANI ADOLPHI
KLOTZII

Potent. Borussorum Regi a Consiliis int. Philosophiae in regia Fridericiana P.P.O.

OPVSCVLA
VARII ARGVMENTI.



ALTENBVRGI,

EX OFFICINA RICHTERIA,

CIↃIↃCCLXVI.

I.

Acroaſis
pro Lipſii dicendi genere in Societate Latina
Ienae 1761. d. XX. April. habita.

Etſi ego in optimarum artium ſtudio nullos vnquam honores, nulla praemia ſpectaui; ſed cum veri et recti conſcientia bonorumque virorum iudiciis ſemper ſuſtentatus, recreatus vehementer et inflammatus ſum, tum immenſa illa atque incredibili voluptate, qua me qualescunque hae litterulae, ſuauiſſimae meae adoleſcentiae altrices, perfuderunt, lubenter contentus fui: magnum tamen omnis adhuc in artibus poſiti laboris, magnum totius ante actae meae vitae fructum hodie conſecutus eſſe mihi videor Veſtra beneuolentia, cui vnice debeo, quem inter tot praeclaros viros mihi dediſtis, locum, nomenque, quo me honoraſtis, Socii Latini, exoptatum illud a me dudum, nunc vero cum non exiguo voluptatis ſenſu ſuſceptum. Nam ſiue honoris, qui mihi habetur, magnitudinem conſidero; ſiue eorum virtutes, qui mihi tam inſigne ſuae beneuolentiae teſtimonium exhibent, mecum reputo; ſiue me ipſum contemplor atque in me quaſi deſcendo, et, quicquid aut ab ingenio, aut a doctrina ha-

beo, excutio: nihil mihi iucundius atque exoptatius contingere potuiſſe intelligo.

Primum eſt haec ſocietas a doctiſſimis viris nulla alia de cauſſa inſtituta, quam vt illius linguae in Germania cultus conſeruetur, ſtudiumque augeatur, quae maxime neceſſarium eſt inſtrumentum ad comparandam veram et copioſam doctrinam, et cuius contemtu omnem elegantem doctrinam, omnemque hominis ingenui ſtudio dignam eruditionem deleri atque exſtingui conſtat. Pulcherrimum vero conſilium atque hac praeſertim tempeſtate neceſſarium, qua ſenſim bonarum artium ſplendor obſoleſcit, tantaque iisdem pernicies imminet, vt vehementer viri docti vereantur, ne, exſtincta hac litterarum luce, omnia foediſſimis barbariei tenebris iterum obruantur! Hoc enim agitis, Viri praeſtantiſſimi, huc praeclarae Veſtrae cogitationes tendunt, vt iis artibus quaſi vita et ſpiritus redeat, quibus nihil ſuauius, illuſtrius, fructuoſius. Habita igitur ſemper eſt haec ſocietas foecundiſſima hominum inſigni doctrinae laude praeſtantium parens: habita eſt optimum eiusmodi virorum ſeminarium, qui imminentem barbariem propellant et decus litterarum tueantur. Quid igitur mihi iucundius eſſe poteſt, quam me in praeſtantiſſimorum virorum collegium cooptari, mihique quaſi ſtimulos addi, vt viam tot clarorum hominum veſtigiis ſignatam, quam antea mea ſponte inieueram, nunc omni animi contentione perſequar? Quid exoptatius, quam me eorum numero adſcribi, quorum vt ſcripta pulcherrimam priſcae et verae Latinitatis imaginem referunt, ita omnes labores in conſeruanda augendaque bonarum artium dignitate verſantur?

Deinde

Deinde ſi non omnis honor viro bono gratus et acceptus eſt, ſed veriſſime ille apud poetam viri laudati laudem ſibi iucundam eſſe dixit: mirifice laetor, hunc mihi honorem a talibus viris haberi, quibus, neque ii cogitatione fingendi fuiſſent, meliores ac peritiores iudices et arbitri mihi potuiſſent contingere. Neque vero ita vel dubiae, vel obſcurae ſunt Veſtrae, Viri doctiſſimi, laudes, vt meo ſiue teſtimonio, ſiue praeconio egeant: neque committam vnquam hodie, vt Vobis, quorum tam inſignis in me extat beneuolentia, hanc gratiam referam, vt Vobis Veſtris laudibus commemorandis moleſtus ſim. Sic tamen ſentio, ſic mihi perſuaſi: quo melius Vos de litteris et ingeniis iudicatis, eo iucundiorem mihi hunc honorem eſſe debere.

Quid denique de me ipſo dicam, quem tanto honore ornatis? Quid dicam, optimi Auditores? aut potius quid non dicam? Cratetis, aiunt, mendici cuiusdam, amore olim Hipparchen, virginem nobilem, flagraſſe, illiusque nuptias efflagitaſſe. Quid Cratetes? hic coram virgine primum baculum et peram deponere; deinde gibbum, et, quicquid eſſet naeuorum in corpore, oſtendere, denique addere: Haec mea ſunt, o puella! ſi talis placeo, ducam te. Sequarne, optimi Viri, Cratetis huius exemplum? denudem me in Veſtro conſpectu et Vobis oſtendam? Faciam profecto. Hoc enim Veſtra erga me beneuolentia meretur. Quo attentius vero me ipſe inſpicio, et quo minus mihi blandior: eo magis me mei piget, pudet et poenitet. Nihil in me inſigne, nihil eximium, nihil quod ad antiquorum praeſtantiam accedat: nulla earum virtutum, quibus veteres illi ſcientiae proceres immortale ſibi nomen et decus pepererunt. Ingenuum me, ſimplicem, rectum, hu-

manum, conſtantem veritatis atque libertatis ſtudioſum et amantiſſimum bonorum et doctorum virorum eſſe non inficior, certe, vt talis eſſem, ſemper me laboraſſe fateor. Illud etiam addo, me, maiorum veſtigiis inſiſtentem, non ad inanem aliquam ſcientiae opinionem, ſed ad verae eruditionis gloriam contendiſſe. Verum idem fateor, me longiſſimo interuallo ab eo, quo intenderim, abeſſe: me iacere, et haſtas, vt aiunt, abiicere, quoties illa ad immortalem omnis poſteritatis memoriam conſecrata nomina intuear: nec eſſe in me quidquam praeter animum fortaſſe, quo gloriari poſſim. Quemadmodum memoriae proditum eſt, olim eos, qui Catonem in petitione praeturae ſuperauerint, miratos eſſe, cur a populo Romano illi viro anteponerentur, cuius ſolum nomen praeclariſſimum eſſet elogium: ſic etiam me admirari fateor, Vos huic homini, in quo omnia ſunt mediocria, honorem detuliſſe, qui meliori iure multis aliis deberetur. Quid igitur agam? quomodo exſpectationi Veſtrae ſatisfaciam? qua re me non omnino indignum egregiis Veſtris de me iudiciis oſtendam? Frangerer profecto, atque animo conciderem, niſi me Veſtra, Auditores, humanitas, et adſpectus illorum, quos mihi inprimis fauere credo, recrearet. Noui enim, eſſe Veſtrum quosdam, qui me, in quo nulla, ſiue a fortuna, ſiue ab ingenio, ornamenta emineant, inſigni beneuolentia complectantur; qui ſibi, licet in aliis acutis et prudentibus, a nimio amore tantas tenebras offundi patiantur, vt de me praeclare atque honorifice ſentiant atque praedicent multa; qui denique auctores Vobis fuerunt, vt me Veſtro ordini adſcriberetis. Quorum virorum praeclaro in me animo niſi vehementer delecter, nae! ego omnes Muſas mihi et Gratias

iratas

iratas esse velim. Atque etsi nihil malim, quam vt dignum aliquod eorum beneuolentia gratias agendi genus inueniam: tacebo tamen, et, quoniam me illis plus debere confiteor, quam soluere queam, qualis sit meus erga eos animus, in auditorum potius cogitatione relinquam, quam in mea ponam oratione. Denique Vestrum in me studium, Vos reliqui nobilissimi, doctissimi et clarissimi Viri, etsi nulli meo merito, sed Vestrae tantummodo humanitati tribuo: magnas tamen Vobis gratias pro hoc, siue iudicio, siue amore, ago, semperque habebo. Ingratissimus omnium forem, omniumque, ita me Musae ament! iniquissimus, nisi obseruantiae, atque grati animi Vobisque obstricti partibus, quoquo modo hoc praestare possim, satisfacere conarer. Nescio equidem, quomodo Vestrae exspectationi respondeam, Vestraque de me iudicia sustineam: omnes tamen ingenii atque industriae neruos intendam, atque enitar, ne Vestra de me opinio Vos fefellisse videatur. Polliceor Vobis, atque etiam praestabo omnia, quae a studiosissimo homine exspectari possunt et debent officia, neque committam vnquam, vt Vos Vestrae erga me beneuolentiae poeniteat. Habebitis sodalem candidum, impigrum, humanum, ab omni contentione et rixa remotum, modeste Vestras admonitiones auditurum, Vobiscum lubenter et strenue in his Musarum castris militaturum, atque, quandocunque opus fuerit, Vestrum nomen intrepido et forti animo contra maleuolorum impetus defensurum: habebitis sodalem, quem nunquam quidem, a quouis Vestrum doctrinae et ingenii elegantia vinci, pudeat, qui vero idem a nemine humanitate, beneuolentia erga vos, candore et fide se superari patietur. Recepistis in Societatem vestram Klotzium hunc, et certissime cre-

dere poteſtis, Vos recepiſſe hominem, qui, vbicunque erit, Veſtri amantiſſimus, Vobis deditiſſimus, et, quibuscunque poterit modis, Veſtris commodis inſeruire paratus erit; qui ea omnia, quae ex ſe Vobis iucunda accidere poſſe videbit, lubentiſſime praeſtabit; cuius ex animo Veſtram inſignem beneuolentiam nullum tempus delebit, et qui ſumma ſemper cum voluptate hunc ſuum diem memoria repetet. Non ſine moerore Lipſia abii: triſtis reliqui pulcherrimam vrbem, in qua per tres annos iucunde vixi, et vbi etiam nunc viuerem, ſi aut animus meus vllo modo armorum ſtrepitum tolerare, aut luctum patriae hi oculi adſpicere poſſent: non ſine lacrimis ex amplexibus amicorum diſceſſi: non ſiccis oculis vltima oſcula iis fixi, quibus nunquam terra candidiores animas tulit. Neque tamen meo dolori nimis indulgeo, neque de Veſtro in me animo dubito. Spero, Viri optimi, et hanc dulciſſimam ſpem vos impleturos eſſe certiſſime mihi perſuadeo, ſpero igitur, fore, vt Lipſienſium amicorum deſiderium, niſi tollatur, (hoc enim plane fieri nequit) certe leniatur Veſtra amicitia, quam ſic exoſculor, ſic amplector, vt ipſam Amicitiam, amabilem illam Deam, ſi ſe mortalium oculis conſpiciendam praeberet, vellem. Et quidni mihi de Veſtra beneuolentia omnia ea pollicear, quae ad dulcem amicitiam gignendam, firmandam et conſeruandam pertineant? Video enim Vos Veſtrae in me voluntatis eum interpretem delegiſſe, quem mihi beneuolum eſſe audiuiſtis, quem me ob ſummas et animi et ingenii virtutes admirari noſtis, quem, cum nobiliſſimo genere natum, tum virtute ſua maximum ſplendorem veteri ſuorum gloriae allaturum, ſuſpicitis omnes atque in deliciis habetis, et cuius de laudibus quae dicere conſtitueram, nunc

prae-

praeter opinionem et ſpem omittere cogor. Nam modeſte iam illum oculos deiicere, et blandas illas genas amabili rubore ſuffundi video (*a*). Conſeruate mihi, quaeſo, optimi Sodales, (liceat mihi nunc primum Vos his iucundiſſimis mihi verbis compellare,) hunc Veſtrum animum, cuius hodie non obſcura documenta edidiſtis: conſeruate mihi illam erga me, non doctum quidem, ſed Vobis tamen deditisſimum hominem, beneuolentiam. Quod cum dignum eſt Veſtra humanitate, tum mihi ſemper erit periucundum.

Atque ita quidem peracta eſſent omnia. Verum quoniam conſuetudine receptum atque legibus huius doctiſſimae ſocietatis prudentiſſime ſancitum eſt, vt illi adſcribendus ſpecimen aliquod ingenii edat: neque ego his partibus deeſſe volui, neque debui. Cogitanti autem mihi, quam potiſſimum materiam explicandam mihi ſumerem, quae et Veſtris auribus digna eſſet, neque aut a ſtudiis Veſtris, aut ab hoc loco abhorreret, viſum eſt de Iuſti Lipſii dicendi genere pauca diſſerere, atque illud, Vobis arbitris, aduerſus eos defendere, qui illud tanquam aſperum, inſuaue, ſpinoſum, barbarum, obſcurum, atque, ſi DIs placet, parum Latinum contemnant atque irrideant. Nam cum ipſe Lipſius *ſe Ienae paullo plus annum manſiſſe*, *docuiſſe*, *ad meliores artes iuuentuti praeiuiſſe*, *et haec ſibi primordia ad profeſſorium munus fuiſſe* fatetur (*b*), et alio loco ſe *beate in hoc Ger-*

(*a*) Erat is Perilluſtris Baro de Burgsdorff, qui nunc in Saxonia iis honoribus fruitur, quos tum omnes admirabili eruditioni, pietati et honeſtati illius pollicebantur.

(*b*) *Cent. II. ep.* 28. et *C. Miſc. ep.* 87.

maniae tractu vixisse dicit (*c*), tum haec res non aliena erit a studiis Vestris, quae in intelligenda vera Latini sermonis indole versantur. Dignus porro erit Lipsius ob acumen ingenii et admirandam doctrinae copiam, cuius causa aures et mentes attentas adhibeatis. Habebit denique oratio nostra fortasse aliquam a nouitate commendationem, quoniam, quantum equidem scio, nemo adhuc accuratam Lipsii defensionem suscepit.

Oro tamen, vt, si quid forte praeiudicatae opinionis de Lipsio attuleritis, si minus honorifice de animo et vita viri docti sentiatis, illud paullisper obliuiscamini, neque eruditionem cum vita, neque ingenii virtutes cum animi vitiis commisceatis. Mortali sanguine et propagine nascimur. Fuit Lipsius homo natus, quamuis doctus, acutus, elegans, homo tamen, neque nostrae naturae imbecillitate immunis. Mittamus igitur diuas illas virgines, quibuscum ipse nollem vnquam rem habuisset (*d*); mittamus furta, quorum a P. Fabro (*e*), Scaligero (*f*), Sciopp io(*g*), Mure-

(*c*) *C. I. ep.* 20.

(*d*) Domin. Baudius, quem humanis virginibus non infensum fuisse aiunt, in *Cent. I. ep.* 59. *Lipsius integriore fama discessisset, si nunquam rem habuisset cum diuis illis suis virginibus:* in *C. II. ep.* 14. *L. cuius quidem diuarum sanos omnes pudet pigetque:* in *C. III. ep.* 41. *Miseret me hominis, alias optime de seculo et re litteraria meriti etc.* et ib. ep. 50. *Saepe ex animo voui, vt prius iuisset ad superos, quam suas diuas limine protulisset.*

(*e*) *L. II. Agonist.* c. extr. et *Lips. C. I. ad Belg.* ep. 10.

(*f*) *Scaligeran.* p. 245.

(*g*) *in not. ad Priap. carm.* 8.

Mureto (*h*), aliis, reus postulatur; mittamus desultoriam viri leuitatem (*i*). Non enim illud nunc quaerimus, an probus, bonus, pius et constans vir Lipsius fuerit? non quaerimus, vtrum sapienter paullo ante obitum vestem pelliceam Mariae dicauerit, an virgini virilem vestem donans in ipsa morte soloecismum fecerit acutissimus Grammaticus (*k*)? de Latinitate illius quaestio instituta est.

Atque etiam vereor, ne auctoritas eorum, qui Lipsium accusent, Vestros animos a me abalienet, atque impediat, quo minus mea oratio in sensus Vestros influat, assensumque eliciat. Qui enim, et quales

 les

(*h*) *Var. Lect. XI.* 1. et *Lips. Elect. II.* c. extr. vide tota de re copiose agentem Thomasium *de plag. litter.* §. 92. 80. 487.

(*i*) v. Dornii *biblioth. theol. crit. P. I. p.* 589. et Sagittarius in libro, *Lipsius Proteus*, *a.* 1614. Francof. edito.

(*k*) Prodierunt tria in hoc Lipsii factum epigrammata Rostochii a. 1610. inde repetita in Schelhornii *Amoenit. Liter. T. V. p.* 48. exhibentur. Alterum, non illepidum, nobis valde placuit. En! tibi illud:

Politiorum amator ille verborum
In breuia maluisset incidere et syrtes,
Quam dictionem protulisse non rectam,
Peccans in actu Mimus ecce vt extremo,
Ridetur et proscenio exulat toto.
Nempe is virilem virgini dedit vestem
Tabulis supremis, marmori titulum inscribe:
In morte fecit Lipsius soloecismum.

de Lipsii erga Mariam cultu v. Hippol. Marracci *bibliotb. Marian.* P. I. p. 807. et 842. de ipsa hac re lege, quae dicant Casaubonus *in ep. ad Scaliger.* 513. p. 614. et in *Casaubonian.* p. 6. et Crenius in *Anim. Ph.* P. VII. p. 15.

les ſunt ii, qui Lipſio diem violatae Latinitatis dicant? qui illum in ius vocent? num patellarii quidam dii? num imperiti Latini ſermonis et indocti homunciones? imo viri optimis ingeniis et praeclarae doctrinae copiis inſtructi. Quis enim vnquam Scioppium, Henr. Stephanum, Rol. Mareſium, Gerh. Io. Voſſium, Morhofium doctos et eruditos eſſe negauit? Tune igitur, dixerit quispiam, hos accuſatores reiicis? tune tibi melius de litteris iudicare poſſe videris? vide, quid agas. Vidi dudum, o bone, quid agerem, quid ſuſciperem. Nam quemadmodum his ingenii et doctrinae, quam conſecuti ſunt, famam minime dubiam facere cupio: ita vehementer opto, vt, quam docti et aſſidui in ſcribendis libris atque bonis artibus tradendis fuerunt, tam liberi a partium ſtudiis fuiſſent, atque tam acute in iudiciis de Latinitate ferendis, quam in aliis rebus vidiſſent. Nam quid de Scioppio dicam? Recitem Vobis legem horrendi carminis, a *Dominico Baudio* promulgatam? *Veſpillionis atque exoleti ſcorti progenies, plagiarius, fur, delator, crucis candidatus et eſca patibuli: monſtrum in vltimas terrarum oras deportandum, ex ipſis humanae naturae finibus exterminandum*(*l*). Repetamne alia eiusdem verba: *Monſtrum ex omni ſpurcitiarum et ſcelerum colluuione concretum* (*m*). Nihil amplius addam. Vereor, ne illud

(*l*) *In orat. in obitum Scaligeri* affix. epiſt. p. 674.

(*m*) *Cent. III. ep. 60. add. C. II. ep. 66. S. quo foedius monſtrum ſol non videt, exterminari debet e finibus humanae naturae, aut culeo inſuendus eſt, tanquam publicus optimi virorum* (Scaligeri) *parricida.* v. Heinſ. *ad Ouid.* L. II. A. A. v. 660. Marville *Melang. d' hiſt. et litter.* T. I. p. 223. Balſac l. 18. ep. 12. Broukh. ad Propert. IV. 1. 124 et multos alios.

illud puellae apud poetam mihi occinatis: *aſperum hoc eſt, aliud lenius ſodes vide.* Sed, oro Vos, quomodo ille, qui Ciceroni barbarismos, qui Varroni archaismos et nouitates, qui Vitruuio vocabula ad transmarini ſermonis conſuetudinem ineptiuscule conformata, qui Priſciano exiguum iudicium tribuit, qui non Manutio, non Scaligeris, non Caſaubono, non Thuano, non Heinſio, non aliis doctis viris pepercit, quomodo igitur ille Lipſio (*n*) parcere potuiſſet? Nimis hoc fuiſſet humanum, nimis modeſtum, neque dignum ſatis canina Scioppii facundia. Quod autem ad Rol. Mareſium (*o*), Gerh. Ioan. Voſſium (*p*) et Morhofium (*q*) attinet, ſunt illi quidem non contemnendi, eorumque in libris magnam per omne litterarum genus diffuſam eruditionem ſaepius admiratus ſum, verum iidem nunquam ſunt mihi ſatis idonei Latinitatis cenſores viſi. Quare etiam miror, vulgo homines, quoties de antiquo aliquo ſcriptore dicant, Morhofii verba, tanquam Delphica oracula, recitare. De Henrico Stephano, neque ſatis docto eo Latinitatis exiſtimatore, nihil attinet quidquam dicere. Non enim de bello Turcis indicendo cogitandum eſt hoc tempore, quo Germania in ſua viſcera ſaeuit, omniaque bello ciuili et inteſtino ardent (*r*). Sunt complures, iique non indocti viri

(*n*) *de ſtilo hiſtor.* p. 10. et alibi.

(*o*) *L. I. ep.* 7. et 49.

(*p*) *in inſtit. Orat.* L. 4. c. 6. ſ. 7.

(*q*) *in Polyhiſt.* p. 301. et in libello: *de Patauinitate Liuii.*

(*r*) Stephani liber inſcribitur: *de Latinitate Lipſii*, in quo quia multa de bello Turcis inferendo dicta ſunt, facete quidam dixerunt, inſcribendum fuiſſe, *de Latinitate Lipſiana aduerſus Turcam.*

viri, atque in his Velſerus, Scaliger, Pareus, Pontanus, alii, quibus Lipſii ſtilus parum probatur. Non quidem hic curo Heineccium (*s*), qui etiam, quod neſcio an alius dixerit, hiſtrionicum dicendi genus Lipſio tribuit. Neque enim eam apud me illius *Fundamenta ſtili*, quod nomen, certe neque Latinum, neque ingenioſum, ſuis de oratione formanda praeceptis impoſuit, auctoritatem habent, quam nimis diu in ſcholis plurimis tenuerunt. Plus apud me valet iudicium Petri Burmanni (*t*), quem, ex voluntate Secundi, poſthac Primum appellabimus, quem paullo tamen iniquiorem erga Lipſium eſſe dicit Geſnerus (*u*) odio Ieſuitarum, quorum ille ſub finem vitae mancipium fuit. Sed ſemper ego ſapientis viri eſſe iudicaui, potius quid, quam a quo dicatur, conſiderare. Plurimis enim de cauſſis docti etiam viri peruerſe et male iudicant. Lipſius leuitate animi ſui multorum iram atque odium accenderat. Alii ſummam illius gloriam inique tulerunt, atque inuidia et inſania occoecati in eum fecerunt impetum. Hinc nemine, paucis certe, iisque timidiuſcule rem agentibus, eum defendente, Lipſii ſtilus quaſi in prouerbium abiit, et affectatae, barbarae et ineptae orationis audiuit exemplum. Hinc etiam multos doctos homines, nec male de Lipſiano dicendi genere ſentientes, tacere, quam intempeſtiua et temeraria in propugnanda veritate pertinacia plebeculam irritare maluiſſe arbitror. Sed de plurimis mihi perſuaſum habeo, eos nunquam Lipſii aureola ſcripta legiſſe: quae a magiſtris, ipſis non ſapientioribus multo, accepe-

(*s*) in *Fundam. ſtili.* P. I. c. 2. §. 10.

(*t*) in praefat. *Syllog. Epiſtol.* T. I. add. *orat. parent. Graevii.*

(*u*) ad Heinecc. p. 109. ed. 1761.

ceperint, repetiisse, atque sic eorum voces iterasse et verba cadentia sustulisse. Nam in *collegiis stili*, vt appellant quidam satis belle scholas, in quibus multa mercede nihil iuuenes discunt, quaeque hunc solum vsum habent, vt praebeant hominibus locum, vbi placide obdormiscere possint, quid saepius auditur querelis de Lipsio? Alii legerunt quidem Lipsium, sed ad quiduis potius, quam ad suffragia de eo ferenda apti sunt. *Neque enim tam facilis est censura Romani sermonis*, verissime vir quidam doctus ait (*x*), *vt sibi Nizoliani fratres persuadent, cum eruditissimos etiam viros et huius prouinciae praecipuos dynastas hic errasse compertum sit.* Quid igitur hosce morer? Ipse Lipsius *de Apellaeis lineis Protogenem aliquem iudicare* iubet, *non, qui auersi sint ab hac arte, aut Musa* (*y*).

Iacta mihi videntur huius defensionis fundamenta. Nunc propius accedamus, atque primum quidem in caussam inquiramus, cur tot viri Lipsii stilum improbauerint. Aut vehementer erro, aut nulla alia re tantum odium sibi vir doctus contraxit, quam quod ab illa ridicula Ciceronianorum familia discessionem fecerat. Non latuit hoc ipsum. *Istae*, dicit, *iaculationes, isti lapides in nos pluunt ab vna hac caussa, quod fortiter et feliciter deseruimus illam caussam. Non expedit, Lipsium in admiratione esse, qui tacitus et exemplo partes eas damnat; tacitus? imo nuper aperta professione et scriptis. Hoc mordet, hoc pungit, hoc excitat voces languentes et fractas, et quae in medio spacio deficiant, priusquam me tangant* (z). Incidit enim, Auditores, Lipsii aetas in ea tem-

(*x*) *Philippus Carol. ad Gell.* V. 21.

(*y*) *Cent. II.* ep. 27.

(*z*) *C. III. ad Belg.* ep. 28.

tempora, quibus nefas putabant, aliquod verbum in oratione ponere, quod non Nizolii Ciceronianarum vocularum index exhiberet, et quibus germani Ciceronis fraterculi tum demum ſibi homines videbanrur, ſi verba et ſyllabas curioſe numerarent, ne fortaſſe vno membro plura, quam Cicero feciſſet, verba comprehenderent; ſi ſemper illud belliſſimum: *eſſe videatur*, in ore haberent; vno verbo, ſi ex optimis Ciceronianis verbis peſſimas orationes, aut, ſi mauultis, e purpura Tulliana centonem mendici contexerent. Ipſe etiam Lipſius primum in hac haereſi fuit, ſed deinde ſe ſenſim paullatimque e contubernio horum hominum ſubduxit. Euoluite, quaeſo, orationes ab eo iuuene in hac potiſſimum vrbe habitas, atque a Kromayero editas, quae mihi quidem ſemper Ciceronis imitationem redolere viſae ſunt. Atque etiam ipſe in Orationum illarum vna (*a*) perſuadere iuuentuti voluit, non eſſe aliam ad eloquentiam viam, quem ſi ad vnius Ciceronis diuinam et admirabilem eloquentiam exprimendam, omiſſis reliquis, ſtudium ſuum diligentiamque referret. Audite porro ipſum aliis locis de eadem re loquentem: *Ciceronem*, ait, *amo*, *olim etiam imitatus ſum*, *alius mihi ſenſus nunc viro. Aſianae dapes non ad meum guſtum*, *Atticae magis* (*b*). Idem alio loco (*c*) de epiſtolis ſuis dicit: *Alia quaedam a prioribus meis haec ſcriptio. Nitor ille abeſt*, *et luxuria et Tulliani cincinni.* Quid multa? *Ciceronianis ſe olim adhaeſiſſe paullo iuuenilius* dicit, *donec repreſſiſſet et reuocaſſet maturioris iudicii fraenum* (*d*). Ipſam quidem Cice-

(*a*) *Orat. VI.* p. 99.

(*b*) *C. II.* ep. 10.

(*c*) *C. I.* ep. 13.

(*d*) *Epiſt. Inſtit.* c. 9.

Ciceronis lectionem et aptam imitationem nunquam Lipſius reiecit et improbauit, (quomodo enim vir tam doctus et prudens illam improbare potuiſſet?) imo ad Raphelengium ſuum ſcribit: *ſtilum meo iudicio Plautus et Cicero tibi perficient, apta quadam mixtura* (*e*), et alio loco monet, perutile futurum, Ciceronem legi quotidie et relegi, veſpertinis horis, et, ſi opportunitas ferat, ſub ipſum ſomni tempus (*f*), ſed illam ſeruilem, illam ineptam imitationem ſemper ſuauiter irriſit. Quam acuta et iucunda haec: *O ſeculum, in quo iacentia et languida quaedam probantur, et hoc vocant Tullianos eſſe* (*g*). *O Italia, vbi Politiani tui aut Barbari? defeciſti, et hoc ſeculum ambitionis et fuci aliquid fortaſſe plus habeat, re deſeritur et ſeria illa doctrina* (*h*). *O quam indignetur et colorem non teneat, ſi reſurgat ille Tullius, et haec cernat, ille altus, ille excitatus et alacer, plenus ſpirituum et ſanguinis probet hos tabidos, iacentes et vere χαμαιπετεῖς λόγους? Stuporem! ad vnius illam imitationem nunc nos vocari, quod nemo veterum aut priorum ſomniauit* (*i*). Credo intelligere Vos ex his, Auditores quid Lipſius de Ciceronis imitatione ſenſerit. At quid ſenſerit, dicitis, dudum nouimus. Verum illum recte ſenſiſſe, nobis probare debebas. Nihil mea quidem opinione facilius. Non dicam, ipſum Ciceronem ſaepius eloquentiae ſtudioſis praecipere, vt omne ſcriptorum genus euoluant et legant: non attingam, Ciceronem non ſolum Demoſthenem, ſed et Demoſthenem et Xeno-

(*e*) *C. I.* ep. 77.

(*f*) *Epiſt. Inſt.* c. 10.

(*g*) *C. ad Germ. et Gall.* ep. 15.

(*h*) *Cent. I.* ep. 28.

(*i*) *C. Miſc.* ep. 100.

Xenophontem et Iſocratem imitatum eſſe: non oſtendam, multa Ciceronis opera deſiderari, non eum omnibus de rebus ſcripſiſſe, nec dicendi occaſionem habuiſſe, quae Plinius in hiſtoria naturali, Varro in agricultura, Celſus in arte medendi dixerint: neque illud addam, Brutum, Caluum et Pollionem, homines, et Romae natos, et, ſi quid video, non adeo inſulſos, vt vulgo putant, multa in Cicerone improbaſſe. Monuerunt haec iam alii, quibus illa hominum ſomnia ſtomachum excitauerunt. Vulgari et populari ratione agam. Noſtis, Aud. quanta dicendi vis et copia fuerit nuper in Mosheimio, viro docto et in poſteritatis exemplum nato. Sunt enim in omnium manibus egregia illius ſcripta, in quibus quem non nitor et flos orationis, puritas et elegantia verborum, grauitas ſententiarum magnopere delectet? Quis enim illo peritior in deligendis aptiſſimis verbis? quis ſine faſtidio ſuauior? quis grauior ſine moleſtia? quis in ſententiis concinnandis politior? Si vero poſt mille annos Nizolius aliquis omnia Mosheimiana verba excerperet, colligeret, eorumque indicem conficeret: ſi porro febriculoſi aliquot homines, qui ad Theotiſcam eloquentiam adſpirarent, nullum, niſi Mosheimianum, verbum probarent, illius formulas et particulas ediſcerent, ſyllabas ad calculum vocarent, atque nulla *Rabeneri*, *Gellerti*, *Kleiſtii*, *Leſſingii*, *Rammleri* ratione habita, nunc ſe diſertos putarent, nunc in ſinu gauderent, nunc ſe coelum digito attingere crederent, per fidem Veſtram! Aud. quales hi homines vobis viderentur? an docti? an eloquentes? an digni, quorum partes ſequeremur? immo qui a pueris irriderentur et exſibilarentur; certe, ſi humani eſſe velletis, diligenti periti medici curae illos commen-

dare-

daretis. Eſtne vero Ciceronianorum alia ratio? mihi quidem non videtur. Quis igitur Lipſium reprehendendum eſſe cenſeat, aut quis illi iraſcatur? Libere dicam, quid ſentiam: equidem vnam Lipſii, quam omnes Bembi, Longolii et aliorum epiſtolas, ſcripſiſſe malim, licet has ex Ciceronianis verbis compoſitas eſſe lubenter fatear. Atque etiam vehementer miror et doleo, iterum hanc inſaniam noſtra aetate per multorum animos, quaſi contagionem, ſerpere, quos ita ſentire et dicere dictator, neſcio, quis, certe non perpetuus, iuſſit, forte, vt bibliopolarum gratiam colligeret, iisque nouam aliquam Ciceronis editionem venderet. Hoc vero deerat afflictis rebus noſtris! Veſtrum erit, Viri doctiſſimi, illam lubidinem coercere, praecidere atque exſtinguere. Veſtram opem implorant optimae litterae, quibus labentibus iam et ad interitum vergentibus capitale vulnus infligitur, implorat ipſa eloquentia, implorat veri, pulchri et recti ſenſus, quem iam multorum in animis emori videmus.

Satis mihi multa dixiſſe videor de Ciceroniana imitatione, atque illud effeciſſe, vt recte Lipſius illas partes deſeruiſſe cenſendus ſit. Hoc mihi quidem vere videor dicere. Si Lipſius cum *Bembo* Chriſtum *heroa*, et fidem *perſuaſionem* vocaſſet, annos non a Chriſto nato, ſed *ab vrbe condita* numeraſſet, atque pro peccata morituro remittere, *deos ſuperos manesque illi placare* dixiſſet (*k*), ſi, ne quid Romanae elegantiae deeſſet, cum Iulio Pomponio Laeto nomen patrium mutaſſet, ſibi domum in Quirinali emiſſet, atque natalem vrbis et vrbis conditorem quotannis cele-

(*k*) vid. *Lipſii* elegantiſſima *ep. ad Douſam*, C. II. 57. *Menag. in Antibaill.* p. 36. *Lanſ. c. Ital.* p. 736.

celebrasset (*l*), si sexcentas alias ineptias cum Longolio, Manutio, Sadoleto, Bonamico, Bunello committere voluisset: omnes has turbas euitare, et acerrimos, quos homines certatim in eum fecerunt, impetus, nisi declinare, certe potuisset lenire. (*)

At, aiunt, neque nobis illae Ciceronianorum ineptiae probantur. Dabimus tibi, ex omnium auctorum flosculis quasi fauos scriptorem construere debere. Verum quid de eo dices, quod Lipsius nullum veterum auctorum imitatus est, sed singulare sibi quoddam genus scribendi finxit? Sit. Non Ciceronem expressit. Verum neque in eius scriptis quidquam occurrit, quod ad Liuii, ad Caesaris, ad Sallustii, ad Nepotis similitudinem accedat. Primum, si necesse esset, facili opera ostenderem, Lipsium inprimis Senecam in deliciis habuisse, atque huius imitationem aliquam in illius libris apparere. Eadem enim est breuitas, idem acumen sententiarum, eadem prope facies orationis, immo, ne Lipsium tanquam humana sorte exemtum et omnibus partibus absolutum laudare velle videamur, eadem argutiarum affectatio (*m*). Huius etiam laudibus vehementer delectatur, iisque commemorandis vix satiari atque expleri potest. Hunc virum ita suos amare iubet, vt ipsam Sapi-

(*l*) v. *Voss. de histor. lat.* L. III. c. 8. et *Freher in theatr. P. IV.* p. 1427.

(*) Omne illud certamen facete exposuit V. Cl. Burigny *sur la querelle, qui s' eleva dans le XVI. Siecle, au sujet de l' estime, qui étôit dûe à Ciceron, dans l' histoire de l' Academie Royal. des Inscript. et bell. lettr.* Tom. XXVII. p. 195.

(*m*) Lecturus Senecae et Lipsii scripta semper ante oculos habeat, velim, verba Balsaci: *l'eclat ne presuppose pas touiours la solidité, et les paroles, qui brillent le plus, sont souvent celles, qui pesent le moins. diss. Crit.* T. II. p. 520.

Sapientiam: hunc acrem in ſcriptis eſſe, et verba ex animo, non a ſummis labris, profundere ait: huic ſtimulos et ſubitos ictus ſententiarum tribuit, quibus qui non excitetur, eum non inter frigidos, ſed mortuos habet (*n*): huius ſcriptis poſt ſacras litteras nihil in vlla lingua ſcriptum vtilius meliusque dicit (*o*). Traxit etiam oratio Lipſii aliquem colorem e Taciti lectione, quem non tam legit, quam prope edidicit et deuorauit (*p*). Verum vbique liber apparebit Noſter, vbique ſuus, vbique Lipſius. Quae cum ita ſint, faciendum mihi eſſe video, vt meam de recto ſcribendi genere ſententiam libere exponam, atque eadem opera ſingulare Lipſii dicendi genus defendam. Sic igitur habetote.

Romanae linguae vſu dudum exſtincto et prope ſepulto, quicunque bene Latine ſcribendi et loquendi laudem aucupetur, illi nullam aliam viam comparandae ſibi huius facultatis relictam eſſe dico, quam diligentem veterum auctorum lectionem et imitationem. Nullius autem in verba magiſtri ita iurandum eſſe exiſtimo, vt vnius voces admittamus, vnius veſtigia premamus, vnum in toto corpore orationis formando atque in membris ſermonis fingendis exprimamus. Nam, ſi auctoritatibus hoc confirmandum, in nullo veterum ſcriptorum, qui ad nos peruenerunt, anxiam eiusmodi curam animaduertimus. Alio quodam ſcribendi genere Liuius, alio Cicero, alii alio vtuntur. Hic preſſus eſt, ille copioſus, alius dulcis, alius aſper, vt cuiusque tulit ingenium. *Vt palati inclinationes*, ait veriſſime Lipſius, *quaedam ſunt, quas haud mutes, ſic iudicii. Nec in probando*

(*n*) *C. II. ad Belg.* ep. 82.
(*o*) *C. I. ad Belg.* ep. 42.
(*p*) *Nic. Erythr. Pinac.*

do magis differimus, quam in agendo. Age, quis inter veteres et inter nouos eadem ratione ſcribit aut ſcripſit? Similes fortaſſe aliquos reperies, et id aegre: nullos pares. Natura in corporibus raro hoc commenta eſt, vt vel ab eadem parente foetus aſſimilent: vis tu a diuerſiſſimis ingeniis ſtilum (*q*)? Deinde etiam, mihi credite, Audit. non fieri poteſt, quin, ſi ſeruili imitatione veteres exprimamus, hiulca fiat oratio, languida, maculoſa, male cohaerens, frigida, vno verbo, inepta. Nunquam natura duobus hominibus idem plane ingenium, eundem vel ardorem vel languorem, eandem vel ſeueritatem vel hilaritatem dedit. Quomodo igitur fieri poteſt, vt duo, eique diuerſi eodem modo ſcribant? idem dicendi genus adament? Sint verba pura, ſint Latina, ſint e Romanis ſcriptoribus repetita, nihil inſit peregrinum, nihil barbarum: probabitur meo animo oratio, ſiue ſit adſtricta verbis, ſiue diffuſa, et licet neque Ciceronis neque Liuii imitationem prae ſe ferat. Atque ita etiam Lipſius mihi ſenſiſſe videtur. Legit veteres auctores: hos magiſtros Latinae linguae habuit: ab his verba et dicendi formulas didicit. Quid tum? conuertit haec quidem omnia in vſum ſuum, et Latinis verbis ſuas cogitationes explicuit, ſed pro ſui ingenii indole, pro ſua natura. In belliſſima quoque ſatyra Menippea ipſe gloriatur, ſe inſperſas orationes proxime ad ſtilum cuiusque effinxiſſe, et, ſi attentius eas legatis, inuenietis, mirifice Noſtrum Ciceronem, Salluſtium, Ouidium, Varronem imitatum eſſe. Vnde patet, Lipſio non facultatem, non ingenium, ſed voluntatem defuiſſe aliorum veſtigia premendi. Scripſit Latine, verum non Caeſarem, non Liuium, non Ciceronem, ſed Lipſium, illum Lipſium, qui breuia, qui acuta amaret, ex- preſ-

(*q*) *Cent. II. ep.* 27.

pressit. In eo enim praesertim imitationem veterum collocauit, vt acumina et elegantias eorum in scriptis suis referret. Et quae tandem est illa veterum scriptorum imitatio, quae digna liberalis hominis ingenio, non puerilis, non seruilis, sed nobilis, docta et recta censenda? Nonne haec, si rationem scribendi cogitandique, si felicem indolem eorum scriptorum, quibus summam bene dicendi laudem omnis aetas tribuit, et in quibus omnes suas vires eloquentia experta est, tam familiarem et quasi propriam nobis reddamus, vt, etsi non pueriliter illorum vestigiis inhaerentes, neque eos inepta diligentia describentes, eodem tamen, quo illi, modo scribere videamur? nonne, si iisdem leporibus, facetiis, figuris orationem nostram distinguamus, quas in illis admiramur et suspicimus? si e poetarum carminibus non centones consarcinemus, sed dulcissimum harum lusciniarum cantum imitemur? si non minus subtiles in probando, vehementes in flectendo, in delectando suaues simus? si optimorum horum magistrorum splendorem, ornatum, copiam, grauitatem, dulcedinem, vrbanitatem, hasce igitur virtutes si quasi nostras faciamus (*r*)? Atque nunc Lipsii sententiam audiamus. *Superest*, inquit, *imitatio vltima siue virilis: in qua haec praecipio; non tam exteriorem illum ornatum spectari debere, quam virtutes et cultum internum: id est, figuras, imagines, acumina et ea, quae appellaui ornamenta* (*s*). Haec Lipsius eleganter et vere. Licuit Sallustio, licuit Liuio, licuit

(*r*) Pertinet huc liber *Henrici Feltoni de legendis auctoribus classicis et formando stilo*, Anglico sermone Londini a. 1712. editus, omnino egregius et bonae frugis plenissimus. Legantur inprimis, quae p. 125. 176. 191. monentur.

(*s*) *Epist. Inst.* c. 13.

cuit Tacito non ad exactam normam, non ad praescriptum aliorum, sed pro ingenio suo scribere: cur idem non Lipsio liceat, modo Latina sit illius oratio? Nihil vero barbarum aut minus Latinum illius scriptis inesse, eo facilius mihi credetis, si eos ipsos, qui Lipsii stilum perstrinxerint, neque hoc crimen in eum iecisse, neque incorruptis iudicibus probasse, videatis. Equidem, etsi nunquam diuam Monetam adeo blandam expertus sum, vt multa temere possem profundere, quouis tamen pignore interposito contendere velim, nullum esse a Lipsio peregrinum, nullum barbarum verbum positum, nullam formulam adhibitam, quae non apte bonorum auctorum exemplo, ex vsu loquendi, e legibus Latini sermonis defendi possit. Quanquam quid, vbi plura nitent, nos, tanquam acerbi et ferocientes Grammatici, paucis maculis offendamur, quas aut incuria commisit, aut humanae naturae imbecillitas parum cauit? Mihi placuit semper viri summi, Moshemii, sententia, quam eo minus vobis recitare piget, quo magis nostra aetate censoribus quibusdam talia inculcanda sunt: *Barbarismos*, ait, *et soloecismos, vt vocant, nonnullos, quos et viris Latine doctissimis excidisse nouimus, vniuersam deformare orationem, etsi plurimis ita videtur, non sentio. Facile fero hominem, qui* gratitudo *et* certitudo, *pro eo, quod certum est et grato animo, scripserit, modo neruis suis reliqua non destituatur oratio, sed apta, commoda et argumento conueniens sit. Laudo enim, qui in his quoque nihil sibi indulget, verum vt alios, quorum in reliquis multae sunt virtutes, idcirco reprehendam, quod a vocibus quibusdam, minus Latinis, perspicuitatis forte causa, non abstinuerint, a me nullo modo impetro* (*t*).

Quid

(*t*) v. *praefat. ad Vb. Foliet.* p. 10.

Quid vero de re minime dubia tot verba facio? Sentio, occurrendum esse satietati aurium et animorum Vestrorum, Auditores, atque ad reliqua crimina diluenda properandum.

Tria enim sunt, quae delicatis hominibus in libris Lipsii displicent. Nimiam breuitatem, antiquas voces et obscuritatem culpant. De singulis pauca dicam. Primum breuitatem Lipsius adamauit. Magnum vero crimen! grauissimum scelus! cur non victimas adducimus, iisque immolatis iratum Ciceronianorum animum placamus? Scelestus hercle! Lipsius, qui membra orationis non ad Ciceronis mensuram exegerit! Quomodo tantum scelus expiabimus? Pontificem Maximum Ciceronianorum, Petrum Bembum, accedamus, praefati tamen: *Si vales, bene est, ego valeo.* Hoc enim illos deperire noui. Heus igitur, bone vir, album taurum, an vitulum mactemus? Sed, vt serio agamus, audire lubet, quod ii breue dicendi genus appellent, aut quale culpent? an illud, cui nihil superuacuum admixtum? a quo luxuries absit? in quo fucus et pigmenta desiderentur? non puto. Ideo igitur, ni fallor, Lipsium nimium breuem esse clamitant, quoniam sedulo omnem longiorem verborum ambitum euitauit, paucis multa complexus. Haec enim breuitas illud quasi signum est, quo orationem Lipsianam a quauis alia facile distinguas: haec propria est illius indoles. Paucis verbis ea inclusit, quibus alius loquacior multas chartas impleret: saepe vnum verbum acutam sententiam habet: nihil adest inane, nihil redundans. Verum quis vnquam hoc vituperauit? Quis illum reprehendat, qui apto loco et tempore contracta et breui verborum comprehensione vtatur? Iam Lipsius

non orationes ſcripſit, in concione populi habendas, non de bellis inferendis, de pace componenda, vel aliis magni momenti rebus ad Senatum Populumque Romanum dixit, ſed vel cum amicis ſermones miſcet, vel de antiquitatibus et rebus ad litteras pertinentibus diſputat. Hic vero ſi floridum, pictum et copioſum dicendi genus adhibuiſſet, quam turpiter egiſſet! Aliis enim, ſi quid ſapio, verbis de amphitheatro, de armis et veſtibus Romanorum, de varietate lectionis et codicum auctoritate, aliis de hoſtibus reipublicae propellendis, de tumultu compeſcendo, de finibus imperii proferendis dicimus. Aliter cum populo, cum auditoribus, aliter cum amicis, cum viris doctis loquimur. Aliter Tityrus ſub fago recubans, aliter immanibus coeptis effera, aciem ſanguineam voluens, et morte futura pallida Dido loquitur: aliis verbis Flaccus Claudium ferrata barbarorum agmina vaſto impetu diruentem, aliis praelia virginum et vultum nimium lubricum adſpici, canit: non iisdem modis Naſo pulchritudinem Romae et dulciſſimam coniugem deſiderat, quibus Hercules, iam iam periturus, furiisque accenſus, coelum et terras accuſat (*u*). Ipſe Cicero, (arrigite aures, mei Ciceroniani!) ille veſter Cicero, qui omnibus ornamentis ſuas orationes expoliuit, cuius laetam et copioſam orationem tantopere deperitis, quam breuis, quam preſſus, quam parcus eſt in epiſtolis ad Atticum, quam diſſimilis illi exultanti et luxurianti Ciceroni. Idem nonne alio modo de natura deorum, alio pro lege Manilia, aliter contra Epicurum, aliter contra Catilinam dixit? Iamne illa huius magiſtri veſtri exciderunt? *quid tibi ego in epiſtolis videor? nonne ple-*

(*u*) Eſt pulcher de hac re locus apud *Werenfelſium de meteoris orationis*, p. 292.

plebeio ſermone agere tecum? nec enim ſemper eodem modo. Quid enim ſimile habet epiſtola aut iudicio aut concioni (*x*)*?* Iamne haec obliti eſtis? *indecorum eſſe, de ſtillicidiis cum dicas apud iudicem, ampliſſimis verbis et locis vti communibus* (*y*). Iuuat vero ex ipſo Lipſio audire, quid de breuitatis ſtudio ſentiat. *Nihil magis*, dicit, *breuitate amo, ſed ſi ſimplex, nihil magis breuitate odi, ſed ſi adfectata* (*z*). *Timanthem pictorem celebrant, quod in eius operibus plus ſemper aliquid intelligeretur, quam pingeretur: velim in mea ſcriptione* (*a*). *Breuitas mihi amata et iis, qui ſapiunt, ſi tamen cum iudicio ea vſurpata et modo* (*b*). Apparebit ex his, apte et erudite Lipſium breuitatem adhibuiſſe, neque eſſe aliquam cauſam, cur hoc nomine a cenſoribus iſtis notetur.

Venio ad alterum crimen. Aiunt, Lipſium nimis obſoleta et antiqua verba adamaſſe, voces oblitteratas multis ſeculis in lucem retuliſſe; et cum praeſentibus, quaſi cum matre Euandri, locutum eſſe. Quod cum dicunt, aut Lipſii ſcripta nunquam legiſſe, aut valde exigua Latini ſermonis cognitione imbuti eſſe videntur. Primum quoties et quam vehementer in eos inuehitur, qui antiquario hoc ſcribendi genere delectentur! Recitabo Vobis, Auditores, ex multis duo loca: *Voces illae rariores et priſcae, mihi crede, eloquentiam non faciunt, et quanquam lectionis aut doctrinae aliquod ſpecimen praeferunt,*

 tamen

(*x*) *L. IX. ad div.* ep. 21. add. *L. X.* ep. 24. *L. VI.* ep. 15.

(*y*) *in orat.* c. 21.

(*z*) *C. II.* ep. 10.

(*a*) *C. I.* ep. 13.

(*b*) *Ep. Inſt.* c. 8.

tamen iure hanc κακοζηλίαν damnat et appellat Augustus. Me qui in ea classe censent, rideo. Vide nostra. Adspergi tale aliquid, sed vt salem, videbis, non superfluere aut abundare (*c*). *Quam multi in iuuentute nos aemulantur, et rideo, quia aut a me procul illi, aut procul certe ego a recto. Nam verba emendicant et abstrusiores aliquot phrases, ad quae, non dicam, risum non teneo, vix iram* (*d*). Vera autem Lipsium dixisse, quicunque illius scripta legat, intelliget. Sunt quidem inspersa aliquoties antiqua verba, sed tam apte, vt singularis inde venustas oriatur. Facite periculum et aliud verbum substituite, omnis illa gratia peribit. Conciliare enim verba ex antiquitate repetita et apto loco posita aliquam orationi non sine delectatione maiestatem, quoniam et auctoritatem antiquitatis, et, quia intermissa sint, gratiam nouitati similem habeant, Cicero et Fabius docent (*e*). Quorum hic addit: *Sed opus est modo, vt neque crebra sint haec, neque manifesta, quia nihil est odiosius adfectatione, nec vtique ab vltimis et oblitteratis repetita temporibus.* Haec verba Fabii nunquam non Lipsius ante oculos habuisse videtur. Primum, qui in omnibus rebus optimus est, modum seruauit, atque tam raro antiquas voces admiscuit, vt vix in decem epistolis vnam inueniatis. Saepius eiusmodi verba in iis libris occurrunt, quos de rebus antiquis et criticis scripsit. Nam ibi opportunior illis erat locus. Si vero in epistolis talia inueniatis, illas plerumque ad viros doctos et interioribus litteris deditos scriptas esse videbitis. Nimis vero asper, nimis

(*c*) *C. ad Germ. et G.* ep. 3.

(*d*) *C. II.* ep. 10. *add. C. I.* ep. 15.

(*e*) *L. III. de orat.* c. 38. *L. I. Inst.* c. 6. add. *Gell. L. XI.* 7.

mis durus esset, qui postularet, vt lectorum aliorum potius, quam amicorum Lipsius rationem habuisset. Denique non existimandum est, Lipsium ad Gracchos et Coruncanum redire, duodecim tabulas loqui, et verbis e Pacuuii, Ennii, Lucilii reliquiis repetitis orationem distinguere. Legi equidem saepius non sine risu antiquariorum (quidni enim eos hoc nomine appellemus, quod ipsi sibi arrogare videntur?) scripta, eosque Sisennae apud Ciceronem simillimos deprehendi (*f*). Quae enim sunt illa ornamenta, quibus orationem expoliunt? quae illae deliciae, quas depereunt, quas obscura diligentia inuestigant, quas omni occasione, plaudentes limatulo polituloque suo ingenio, proferunt et lectori obtrudunt? Lubetne audire ex me bellissima quaedam verba? Vereor profecto, iucundissimi Auditores, ne Vobis stomachum moueam, aut tussim et grauedinem adferam. Obstruite aures, aut ocyus abite. Iterum iterumque moneo, ne quis sibi praedictum esse neget, aut mea culpa aegrotasse se dicat. Audietis enim *cor* Pacuuii *luctificabile* et Lucilii *monstrificabile:* videbitis Nerei *pecus repandirostrum et incuruiceruicum:* adspicietis Catulli *famulum herifugam* et *Martem salisubsulum.* Iucundo hoc sonitu delectari Vos video. Quare non committam, vt reliqua Vobis inuideam. Arridentne igitur Vobis haec: *abstirpare*, *andruare*, *baubari*, *brigari*, *exballistare*, *horoscopare*, *puluerizare*, *vaporizare*, *perbitere*, *topper*, *nenu*, et alia, quae Christianum Daumium in libro de caussis amissarum linguae Latinae radicum (*g*) *Spiritus sancti impetu nec sine Iouae numine* collegisse

(*f*) *de clar. orat.* c. 34.

(*g*) v. *ap. Graev. in syntagm. Var. dissert.* p. 447.

giſſe Io. Zechendorffius ſatis ſeuere ſcribit (*h*). At in Lipſii ſcriptis nemo mihi tales ineptias oſtenderit. Pauca ſunt e venerandis illis antiquitatis fontibus hauſta, eaque non ſine idonea cauſa, plura e Terentio et potiſſimum Plauto deriuata. Hunc enim merito laudat: hunc commendat iuuenibus et veriſſimis ſemper laudibus extollit. Non ignota fortaſſe Vobis lepidiſſima haec: *Venus et lepos et comitas a quibus vberius hauriatur, quam a meo comico? Plautum enim hic ſolum intelligo et praepono (nec impono, quia ex animo ita ſentio) omnibus, qui in Latio aut Graecia imbuerunt chartaceum hoc aequor* (*i*). Tranſtulit igitur plura Plautina verba Lipſius in ſcripta ſua, quae ſi quis obſoleta dicere velit, per me dicat, nihil impedio. Verum eidem ego in aurem inſuſurrabo, non pueris Lipſium ſua ſcripſiſſe, non imperitis Latini ſermonis, non iis, qui epiſtolas aliquot Ciceronis, aut orationem pro Archia poeta ita legerint, vt tanquam pſittaci, illud: *ſi quid eſt in me ingenii*, recitare poſſint, ſed viris guſtu aliquo elegantiae imbutis et bona Romanae venuſtatis ſcientia inſtructis. Vnde noſti, o chare, illud verbum, quod tu non intellexiſti, neque alios intelligere? quomodo nobis perſuadebis, eam formulam, quae tibi obſoleta, nemini vulgarem videri? quis tibi Apollo, quae Pythia dixit, illis amicis, ad quos Lipſius epiſtolas ſcripſit, eas voces ignotas fuiſſe, quarum ſenſum tu non aſſequeris? Bene enim ait Lipſius: *Quae obſoleta notae duplicis: natura et opinione. Illa dixerim, quae reuera talia ſunt, haec, quae ſenſu dumtaxat vulgi. Nam*

(*h*) *in praef.* p. 450. *Donec tandem Spiritus ſ. impetu, non etenim ſine numine Iouae auguror hoc factum, incitatus -- Chr. Daumius -- in plura conſulendo inquireret.*

(*i*) *Ep. Inſtit.* c. 11.

Nam hodie ita inualuit, vt quicquid ignotum nec tritum auribus imperitorum, obſoletum cenſeatur, quanquam ab optimis auctoribus petitum et ab optimo illo aeuo (*k*). Multa mihi neceſſario praetermittenda ſunt, Auditores, ne Veſtra attentione abuti videar.

Sunt enim adhuc pauca de obſcuritate dicenda, quam eo diligentius vitandam Lipſio fuiſſe clamant, quo maior orationis virtus ſit perſpicuitas. Atque haec quidem accuſatio mihi ſemper perridicula viſa eſt. Memini, me in ſcholis Philoſophorum audire, obſcuritatem eſſe vel *obiectiuam* vel *ſubiectiuam*. Quod licet inepte et barbare dictum, vt mos eſt noſtrorum hominum, qui elegantiam orationis pallio Philoſophi indignam exiſtimant, veriſſimum tamen eſt. Accidit naturae noſtrae peruerſitate, vt plerumque quemuis alium, quam ſe ipſos, homines accuſare malint. Inde ſi ob mediocritatem ingenii ſcriptoris alicuius verba non ſtatim intelligunt, vehementiſſime de illius obſcuritate queruntur. Quo quid iniquius cogitari poteſt? Nonne hi ſimillimi ſeni cuidam, quem Seneca narrat, licet aetatis vitio parum commode oculis vſum, quodcunque tamen cubiculum intraſſet, dixiſſe, illud non luminoſum ſatis eſſe? Mihi etiam, quoties in Mathematicorum libros incidi, merae tenebrae obortae ſunt ob ignorantiam rerum. Cum autem eosdem libros ab aliis facili opera intelligi et explicari videam, quam inepte agerem, ſi meam culpam in ſcriptores illos conferrem? Non alia eſt eorum ratio, qui Lipſii obſcuritatem accuſant. Audiamus, quid ipſe illis reſpondeat: *Atqui nos obſcura et intricata ſcribimus. Neſcio: dicam libere, mihi de me non videri: immo hoc*

(*k*) *Ep. Inſtit.* c. 13.

hoc in laudibus meis vel maxime cenſeo, quod in breuitate nubes vito. Dicant et iudicent, qui Latine modice intelligunt: dicant, qui vel leuem guſtum habent politioris litteraturae (*l*). Equidem, Auditores, polliceor Vobis atque ſancte in me recipio, me cuiuis, qui periculum facere velit, quamcunque formulam, quodcunque verbum, non caput ſcalpentem, non vngues rodentem, non ſudantem, ſed facillimo negotio eſſe expliciturum. Quod ſi ego, qui in Latinis litteris non longiſſime progreſſus ſum, illas vero priſcorum monimentorum reliquias aut nunquam, aut certe aliud agens, attigi, ſperare audeo, atque me praeſtiturum eſſe confido: quid tandem ab illis exſpectemus, qui in antiquitatis cognitione habitent, qui priſca illa monimenta diligenter excuſſerint, qui in illis intelligendis et explicandis omne ſtudium atque operam poſuerint? Non opus eſt plura addere. Res ipſa loquitur.

Reſtant aliqua, Auditores, quae accuſatores Lipſio obiecerunt, quaſi grauiſſima crimina, ſed paucis tantummodo attingenda. Quid enim multa de eo dicamus, quod Noſtrum ſuis ſcriptis ſententias Graecas atque poetarum verſus inſperſiſſe indignantur? Conciliauit profecto Lipſius hiſce ornamentis magnam orationi pulchritudinem, eamque harum elegantiarum idoneis iudicibus non iniucundam. Non dubitabo equidem, quae veterum auctorum exemplis, quorum veſtigiis in dicendo ſemper inſiſtendum eſſe putaui, edoctus, de verſibus interponendis ſentiam, libere dicere. Nullum ex omni ſcriptorum genere ab his deliciis abhorruiſſe dico, ſi oratores et hiſtoricos excipias, qui cur tantam in hac re verecundiam et religio-

(*l*) *C. III. ad Belg.* ep. 28.

gionem adhibuerint, facile intelligitur. Nam quia in oratione omnia ad fidem faciendam referuntur, atque orator in nulla re magis elaborare debet, quam vt apto et accommodato ad perſuadendum dicendi genere vtatur, diligenter eidem omnia euitanda ſunt, quae artis affectatae, delectationis quaeſitae, et, vt verius dicamus, mendacii ſpeciem habeant. Inde Ciceronis non niſi in perpaucis orationibus verſus inculcatos reperimus; Demoſthenem omnino hunc ornatum, non dignum ſatis oratoris grauitate, neglexiſſe videmus. Hiſtoricos autem ea de cauſa verſum repudiaſſe arbitror, quoniam, cum ſumma et prima hiſtoriae lex ſit, ne quid falſi dicatur, maximopere ſibi omnia euitanda eſſe cenſuerunt, quae mendacii aliquam ſuſpicionem lectori praeberent. Nam ſi quis nobis Plutarchum et Suetonium nominet, eorumque exemplo noſtram ſententiam refutari putet, ille hos non hiſtoriam, qualem Thucydides, Liuius, Salluſtius, Tacitus reliquerunt, ſed ſingularium hominum vitas ſcripſiſſe conſideret, velim. Quod ſi vero epiſtolis, ſi ſcriptis Criticis, ſi libris, quibus tantummodo delectatio quaeritur, verſus apte intexamus, quis reprehendat nos? Nonne praeſtantiſſimorum ſcriptorum exempla, Ariſtotelis, Platonis, Xenophontis, Luciani, Ciceronis, Plinii habemus? Nam ſiue doceamus lectorem, quo magis illa ſeueritas temperabitur, aut qua ratione melius illum tenere poſſumus, quam ſuauitate verſuum? ſiue delectare velimus, quid eſt ad delectandum aptius dulciſſimis poetarum epulis? Sed non lubet plura de hac re verba facere, ne Veſtrae eruditioni, Auditores, diffidere videar. Quare neque multa de Graecis verbis, Latinis admixtis, dicam. Nouimus Ciceronem in orationibus diligenter a Graecis verbis abſtinuiſſe, (cauſas enim in

fore

foro et in ſenatu egit, ad populum dixit, ideoque populari oratione, et quae ab omnibus intelligeretur, vti debuit), immo meminimus, eum non niſi bis in Verrinis (*m*) et ſemel in Piſoniana (*n*) Graecum verbum ponere. Verum iidem non ignoramus, eundem Tullium epiſtolas, ad Atticum praeſertim, et libros de philoſophia Graecorum et Latinorum poetarum ſententiis, quaſi luminibus et gemmis, diſtinxiſſe.

At corrupit hoc ſuo nouo ſcribendi genere Lipſius multos et iuuenes et viros, eosque adeo cepit, vt nihil propius abeſſet, quam vt omne verae eloquentiae decus amitteretur. O plumbeum telum! dudum illud praeuidi. Hinc enim clamores illi exorti, hinc odium illud in Lipſium excitatum: hinc claſſicum viri docti cecinerunt, et bellum Noſtro indixerunt acerrimum. Fateor, Auditores, multos fuiſſe, qui Lipſii exemplo inflammati ad eandem in ſcribendo breuitatem adſpirarent: fateor, plurimis hanc rem male ceſſiſſe, et, cum virtutes imitari debuiſſent, vitia illos imitatos eſſe. Cauſae facile patent. Non tam fautricem, quam Lipſius, naturam in tribuendis animi dotibus experti erant: non Lipſianae eruditionis flumine inundatum habebant pectus: plerique etiam immatura fuerunt aetate. Verum ita vulgo accidit, vt, quemadmodum olim balbutiem Ariſtotelis et incuruos Platonis humeros imitati egregios ſe Philoſophos exiſtimauerunt, ita, quoties vir magni nominis nouum quoddam et ſingulare in litteris adamet, omne imitatorum ſeruum pecus idem ſibi licere putet. Reuocate illud tempus in memoriam, quo vir diſer-

(*m*) *Verr. II.* c. 52. *dies* ἐξαιρέσιμοι, et *Verr. V.* 57. ἐδεκώθησαν, pro ἐδικαιώθησαν.

(*n*) c. 25. *argentum* οἴχεται.

difertus, Io. Guil. Bergerus, Vitembergae litteras et eloquentiam docuit. Videbant homines virum doctum in fine membrorum illud diftinctionis fignum, quod punctum appellamus, omittere. Quid multa? Statim omnium animos libido atque cupiditas inuafit, eundem fcribendi morem imitandi. Quicunque igitur nullum punctum in fine membrorum appingerent, mirifice fibi plaudebant, et hanc leuem ob caufam eandem elegantiam chartis fuis tribuebant, quam in nitidiffimis Bergeri fcriptis admiramur. Quantam etiam, ne longius abeamus, hominibus, licet nulla fua culpa, infaniam iniecit Io. Fridericus Chriftius, cuius funus nuper Lipfienfes Mufae non fine lacrimis extulerunt! Adamabat vir beatus, vt erat ingenium illius quafi receptaculum antiquarum litterarum, doctum et eruditum fcribendi genus, cui multa e prifcis Latinis fcriptoribus admixta, fed paullo afperum, durum, nec, mihi certe, iucundum lectu. Neque hoc virum optimum ideo feciffe credo, vt exemplum ederet, ad quod alii orationem conformarent. Non pauci tamen ad prifca illa verba, tanquam ad Sirenios fcopulos, adhaeferunt, fibique egregie docti et elegantes vifi funt, quoties verbi caufa pro magno Philofopho *Alpha Philofophorum* dixerant. Sed, vt ad Lipfium redeamus, ipfe huic crimini refpondit. *Quae hic mea culpa eft? non magis quam Salluftii, fi quis Arruntius varo pede eum eft fecutus. Sua cuique laus aut culpa a fe efto: aliena nemo furgat, aut cadat* (o). Vtinam quoque iuuenes Lipfii admonitiones audiuiffent! Saepius enim monuit, ne nimiam in oratione breuitatem adfectarent. *Habes*, inquit, *de breuitate, quae viris*

(o) C. *ad Germ. et Gall.* ep. 15.

viris mihi dicta, non iuuentuti, ſunto. Adeo enim hanc ad eam non voco, vt etiam abſterream, ſiue quia tuto adſumere vix poteſt, et breuitatis imitatio facillime aetatem hanc decipit, ſiue quia nec vtiliter poteſt, et iuuenili illo breuitatis ſtudio (ſaepe vidimus) aridus plerumque et exſuccus ſtilus euadit (*p*). Ad Raphelengium vero ſcribit: *Etſi breuitas mihi amica, tamen in adoleſcentiae iſto aeuo maior quaedam vbertas mihi haud diſpliceat, quae ipſa etiam eſſe poteſt, ſine fraude vlla breuitatis* (*q*). Neque ego, Auditores, haec ideo pro Lipſio dixi, vt quemquam ad eiusdem dicendi generis imitationem adhortarer, ſed vt appareret, quam immerito et falſo, ne quid grauius dicam, vir, quicquid alii contra dicant, doctus perſtringatur. Totam vero ſi noſtram defenſionem paucis complecti velimus, aptiſſime hoc Tullii verbis fiet: *Non omnis fortuna, non omnis honos, non omnis auctoritas, non omnis aetas, nec vero locus aut tempus, aut auditor omnis eodem aut verborum genere tractandus eſt, aut ſententiarum, ſemperque in omni parte orationis et vitae, quid deceat, eſt conſiderandum, quod et in re, de qua agitur, poſitum eſt, et in perſonis et eorum, qui dicunt, et eorum, qui audiunt* (*r*). Haec enim ſunt illa verba, quae nos praecipue Lipſium defenſuri ante oculos habuimus, ſic, vt quae a Tullio paucis traduntur, nos copioſius exponeremus. Haec verba cuiuis, Lipſii ſtilum, vt fit, accuſanti et irridenti bis terue recitetis, velim.

Si vero nunc poſtulet quispiam, vt, qualis tandem Lipſii ſtilus ſit, declarem, ei ipſius verbis reſpondere iuua-

(*p*) *Epiſt. Inſt.* c. 7.

(*q*) *C. II.* ep. 52.

(*r*) *de orat.* c. 21. *add.* c. 35.

iuuabit. *Conſcientia*, inquit, *ipſos quoque conuincit, teſtor eam et apello, ſtilum noſtrum aliquid viuum, alacre, ſed et eruditum habere* (*s*). Et alio loco: *Mea dictio aliquid et eruditum et acre et non calcatum habeat: ſenſus praeferat et ingenii non lumen ſolum et calorem* (*t*). Ita ſe ipſe Lipſius veriſſime depingit. Eſt enim illius oratio breuis, parca, fortis, virilis, viuida, doctum aliquid ſpirat, ab omnibus lenociniis et a fuco remota quidem, ſed iucunda tamen et ſuauis, adſtricta verbis, ſed plena ſucci et ſanguinis. Membra ſunt crebra et abrupta: interrogationes et exclamationes frequentes: ſtructura verborum arcta et preſſa, ſed facilis eadem atque illaborata, illaboratae certe ſpeciem habet: ſententiae ſunt nouae, acutae et inexſpectatae: pauca ſaepe verba praeclaras ſententias continent: verba ipſa Latina, pura, caſta, interdum, vbi locus eis aptus, priſca et antiqua: adſperſi ſubinde verſiculi, ſententiae veterum, prouerbia: ex antiquis dictis et priſcis ritibus orationis Veneres ſaepe deriuatae: lepores adſunt permulti et amabilis quaedam venuſtas: breuitas eſt ſimplex, non arida, non frigida, non elumbis, non adfectata, et iucunda et fortis: nulla obſcuritas, nullae tenebrae: nullus apparet ornatus nimium quaeſitus, nullus cultus, nulla pompa aut eloquentiae oſtentatio. Denique magis mouet oratio, quam delectat: citius opinione lectorem capit, et ſtimulos in animo relinquit: ſimilis illa ingenuae et caſtae matronae, quae ſibi, non aliis ornatur: qua non, tanquam lacte, pueri, ſed, quaſi ſolido cibo, grandiores natu alantur. Haec mea eſt de Lipſii ſtilo ſententia, quam ſi Vobis probauerim, vehementer laetabor.

(*s*) *C. III. ad Belg.* ep. 28.

(*t*) *C. ad Germ. et G.* ep. 15.

Scitote tamen, me non de orationibus, ſed de epiſtolis, de libris Criticis, et aliis ſcriptis dixiſſe. Sit etiam, vt mihi meum, ſic ſuum cuique liberum iudicium. Mihi quidem nihil ineptius videtur, quam aliorum diſſenſum ferre non poſſe, et de tam leuibus rebus magnas tragoedias excitare. Satis mihi placebo, ſi paucis, ſi Vobis, Viri doctiſſimi, oratio mea non diſplicuerit. *Satis*, ait Lipſius noſter, *triumphat veritas, ſi apud paucos bonosque accepta, nec indoles eius eſt, placere multis* (*u*).

Vellem ipſe Lipſius accuſatoribus ſuis reſpondiſſet et accuratam ſui ſuſcepiſſet defenſionem. Saepius eum amici adhortati ſunt, vt aduerſariorum clamores compeſceret. Verum retinuit pulcherrimum, quod ceperat ſemel, conſilium tacendi, nihilque magis viro docto cauendum eſſe cenſuit, quam *ne*, vt dicere ſolebat, *Critice haec ludus et arena beſtiariorum fieret* (*x*). Erat in eo amabilis quaedam modeſtia et humanitas, quam etiam Lipſiani diuinitus matri praedictam eſſe putant (*y*). Ex illo animo diuina haec et egregia prouenerunt: *In me aut in mea incurrant, quicquid ego aut illa ſumus, tempus*

(*u*) *L. I. Manud. ad Stoic. Philoſ. def. XV.*

(*x*) *C. ad Germ. et G.* ep. 51.

(*y*) Res ita ſe habet. Lipſius in *cent. Miſc.* ep. 87. narrat matrem ſuperiori proxima nocte, quam editus fuiſſet, vidiſſe vigilantem et exſomnem duo puellos mire candidos per cubiculum inambulantes et ſe inuicem complexos. Sapienter autem addit: *Interpretatio* (*ſi tamen vlla*) *ipſi nobisque incerta.* At Franc. Sweertius in vita *Lipſii*, affixa *Iuſti Lipſii Floribus ex eius operibus diſcerptis* p. 146. Doctrinam ac Modeſtiam hac imagine praeſignificatas eſſe ait. Credat, cui volupe eſt, talia credere.

pus aperiet, et tunc magis, cum non ero, ſuum cuique decus poſteritas rependet. Turpe nobis, commoueri et conuerti ad eiuſmodi inclamantiunculas, et, ſi fecero, quid euincam (z)? *Non ſtringet vnquam haec manus, ne in Germanos quidem proteruos, qui ſtilo me laceſſunt* (a). *Mihi crede, arenarum telae ſunt omnes iſti calumniarum contextus: minuta animalia inhaerent, fortiora ſpernunt et perrumpunt. Et quid dicam? me et mea laudem? hoc neceſſum eſt, neque aliter excuſem. Atque niſi aeuum et tacitus iudiciorum conſenſus hoc facit, fruſtra omnis conatus huius ſim ego, loquar, ſileam: ſi Genium et Venerem ſcripta mea habent, viuent, ſi non, eant iam nunc, quo Voluſi olim annales* (b). *Abite caniculae, ego ad veſtros latratus exciter aut mouear* (c)? *Ob haec quidem leuia et verba et litteras quid alteri alteros flagellamus? Melioris ſententiae teſtis et arbitra ſemper erit haec aut alia aetas* (d). Atque eiusmodi plures ſententiae (e) Lipſii ſcripta legentibus occurrent, teſtes humani et modeſti animi.

Imitemur, Optimi Auditores, amabilem hanc modeſtiam, nobisque perſuadeamus, nihil magis humanitate eos decere, qui ſe illis litteris, quae ab humanitate nomen nactae ſunt, deditos eſſe profiteantur.

(z) *C. II. ad B.* ep. 6.
(a) *Ibid.* ep. 37.
(b) *Ibid.* ep. 16.
(c) *C. ad Germ. et G.* ep. 15.
(d) *Ibid.* ep. 6.
(e) *v. c. C. III. ad B.* ep. 9. 31. 69. *C. Miſc.* ep. 96. *C. I.* ep. 28. *C. III.* ep. 81. *C. ad G. et G.* ep. 10

II.

Oratio

de dignitate, iucunditate et vtilitate ſtudiorum humanitatis Ienae die natali Societatis Latinae recitata a. C. 1761.

Viro ſumme reuerendo, Gottlob Hermanno, philoſophiae Doctori, in vrbe Loebauia ſarorum Antiſtiti Primario, et ſcholarum Inſpectori S. P. D. Chriſtianus Adolphus Klotzius.

Mitto ad Te, Vir ſumme reuerende, orationem magna doctorum virorum frequentia a me die XXIX. Auguſti recitatam, eamque, et mei Tibi deditiſſimi animi teſtimonium, et ſummae obſeruantiae meae pignus, eſſe volo. Nam etſi Te de meo erga Te animo minime dubitare noui, geſtio tamen palam illum declarare, meique ſtudii teſtem et noſtram et poſteram,

(Si quis tamen haec quoque, ſi quis
- - legat)

aetatem conſtituere. Et qui poſſum aliter? ſingularis ſemper fuit Tuus erga me amor et eximia beneuolentia. Nam primum, ex quo Tu in patria mea ſacrorum curam ſuſcepiſti, atque cum noſtra familia neceſſitudinem coniunxiſti, nihil omiſiſti profecto, optime Hermanne, quo, Te mei amantiſſimum eſſe, oſtenderes. Laetari Tu progreſſibus, quos me in ſtudiis feciſſe, nimis fortaſſe benigne iudicans, dicebas: admonere me, hortari, orare, vt pergerem tenere iſtam viam, quam inſtituiſſem: me prudentiſſimis conſiliis iuuare: mihi neque pauca, neque exigua munuſcula ex inſtructiſſima Tua bibliotheca offerre:

nul-

nullum denique humanitatis officium praetermittere. Quale vero extiterit Tuum erga patrem meum ſtudium, quam iucunda fuerit optimo ſeni amicitia Tua, quantum ille Tua conſuetudine, Tuisque ſermonibus delectatus ſit, nihil attinet dicere. Accidit deinde, vt Tu, a popularibus Tuis Loebauiam vocatus, campum nanciſcereris, in quo excellentes Tuae virtutes exercere ſe magis atque commodius cum ad Tui nominis gloriam, tum ad ciuium vtilitatem, poſſent. Memini, memini, nec vnquam obliuiſcar illius diei, quo Tu Biſchoffswerdenſibus meis vale dixiſti. Tum tota vrbe fletus gemitusque fieri: lamentationes lugubres in templo audiri: Tu ipſe non lacrimas tenere. Eo die clariſſime apparuit, et quam charus Tu eſſes Biſchoffswerdenſibus, et quanto Tu illos amore proſequereris. Dulciſſimus vero Pater Te non aliter ex ſinu ſuo dimiſit, non aliter votis precibusque proſecutus eſt, quam ſi filius eſſes. Atque etiam amauit Te ille amore vere paterno. Sed Tu, Vir ſumme reuerende, mutaſti tantum locum, non ingenium, non animum Tuum illum erga me beneuolum. Id quod, cum nuper Patrem meum viſeres, optime intellexi. Accipies igitur eo, quo mea omnia ſoles, animo hoc munuſculum, ſi rem ipſam ſpectes, exiguum (niſi fortaſſe eorum, qui me dicentem audiuerunt, praeſtantia, atque ipſius diei ſolemnitas aliquem ſplendorem adferant) ſi animum donantis conſideres, maximum. Hoc certe vnum et polliceri et profiteri non dubito, memorem me Tuae eximiae erga me beneuolentiae omni tempore futurum, nihilque Tuo amore (vereor enim, ne, ſi, vt illum mihi conſerues, Te rogem, conſtantiae Tuae diffidere aut Te ignorare videar) mihi vnquam iucundius et gratius fore. Vale, Vir ſumme reuerende, et me Patri Tuo, vene-

C 4 *rabili*

rabili ſeni, etiam atque etiam commenda. Scripſi Ienae, Kal. Sept. a. C. 1761.

Si, quantum voluptatis ex iucundiſſimo Veſtro conſpectu capio, quantumque me egregia optimorum Collegarum in me voluntate delectari ſentio, qui me eum eſſe voluerunt, qui in hoc ad dicendum ampliſſimo loco hodie verba facerem, atque in doctiſſimorum virorum concione memoriam illius diei, quo ante ſeptem et viginti annos noſtrum Collegium a viris doctis conditum eſt, renouarem oratione atque celebrarem; tantum ingenii atque facultatis ad dicendum afferrem, tantumque omnibus vel naturae, vel doctrinae praeſidiis inſtructus accederem: efficerem profecto, vt neminem vnquam maiori orationis ſuauitate aures Veſtras delectaſſe, animos allexiſſe, tenuiſſe, et iucundiori voluptate perfudiſſe exiſtimaretis. Nam ſi cuiuis, honeſta laudis cupiditate accenſo, iucundum eſt, ad viros doctos dicere, eosdemque cum iudices, cum teſtes, ſui ingenii habere: nihil profecto mihi, ex diuturno optimarum artium ſtudio nullum alium fructum, quam bonorum doctorumque virorum laudem et amorem appetenti, optabilius eſſe poteſt hoc, tacito quidem, ſed honorificentiſſimo noſtri Collegii iudicio, eſſe me eum, qui non plane indignam tanta auditorum praeſtantia, maximoque huius diei ſplendore orationem ſim habiturus. Cum vero eos, qui ad me audiendum conuenerunt, oculis perluſtro, et vnumquemque Veſtrum, Auditores, intueor atque contemplor, qua laetitia perfruar, quibus gaudiis exultem, quanta voluptate afficiar, vix verbis exprimi poteſt. Video enim omnium virtutum et artium praeclariſſima lumina: video adeſſe

eſſe celeberrimos huius Academiae doctores, diuinarum atque humanarum litterarum peritiſſimos: video conueniſſe huc viros, qui egregiis ingenii monimentis editis maximam famam atque immortalem gloriam conſecuti ſunt, et quorum nomina per vniuerſum terrarum orbem celebrata aeterna in laude verſantur: video denique optimos huius Academiae ciues, quos bonarum artium ſtudiis deditiſſimos in ſpem patriae et reipublicae ornamentum efflorefcere laetatur optimus quisque, ſua frequentia hunc diem noſtrum ornare et celebrare. Quanti me haec aeſtimare cenſetis? Tanti profecto, quanti, quae iucundiſſima nobis ſunt, aeſtimare ſolemus. Illa vero, quam in vnius cuiusque Veſtrum vultu agnoſco, humanitas audaciorem profecto me reddit, quam pudor ille et timor pati videtur, quem mihi et mea natura tribuit, et praeſtantiſſimorum virorum conſpectus iniicit. Quare non tam cogito, quomodo exſpectationi Veſtrae ſim ſatisfacturus, quam laetor, me et auditorum eruditionem atque ingenium admirari, et inſignem erga noſtrum Collegium beneuolentiam egregiamque humanitatem amare debere et poſſe. Quid denique de re ipſa dicam, de qua mihi hodie dicendum eſſe intelligo? Renouanda mihi eſt oratione illius diei memoria, quo noſtrum Collegium inſtitutum, publicaque auctoritate confirmatum fuit: indicendus dies omnibus, qui litteris bene cupiunt, laetus et feſtus: Vos, Auditores, ad eum celebrandum inuitandi: vota pro Collegii ſalute facienda: immo mihi illud negotii datum eſſe video, vt praeeam verba, quibus a Deo immortali, vt nobis ea res fauſte, feliciter proſpereque eueniat, precemini. O pulcherrimum hunc diem animoque meo exoptatum! Quid enim mihi, qui ab ineunte aetate in harum lit-

terarum ſtudiis omne tempus, omnemque operam conſumſi, iucundius eſſe poteſt, quam de earum praeſtantia dicere, atque tali modo aliquam gratiam Muſis referre, quae dulciſſimae totius vitae nutrices fuerunt, quae incredibilem ſuauitate ſua mihi voluptatem ſemper attulerunt, e quibus maximos fructus et ſummam vtilitatem cepi? Quid mihi exoptatius, quam harum litterarum ſuauitatem, ſplendorem atque ad omnes vitae partes vtilitatem oſtendere atque praedicare? Neque enim Vos, optimi Auditores, ſubtilem aliquam aut doctam a me orationem exſpectabitis, neque ego committam vnquam hodie, vt propoſita certa re atque explicata, Vos et a natura excellentibus ingeniis praeditos, et diuturno artium liberalium ſtudio magnam eruditionem conſecutos, aliquid docere voluiſſe videar. Conueniſtis huc nulla alia de cauſa, quam vt et ſtudium Veſtrum erga nos animumque beneuolum oſtenderetis, et minime obſcure teſtificaremini, coli a Vobis atque magni aeſtimari humanitatis litteras. Praeterea non patitur huius diei ſollemnitas ſcholaſticam, atque, vt ita dicam, vmbraticam orationem: non decet illum ſplendorem ſubtilitate diſputationis ſiue extinguere, ſiue minuere conari: non fas eſt, de vlla alia re dicere, quam quae ad ſacra ſollemnia noſtra pertineat. Faciam igitur illud, quod ipſa demandati mihi muneris ratio poſtulat, atque hunc diem omnibus iis laetum, feſtum et ſacrum eſſe debere oſtendam, qui non plane auerſi ſint a Muſis, omnisque humanitatis expertes. Quod quomodo facilius meliusque efficiam, quam ſi de earum artium atque litterarum praeſtantia dicam, in quibus colendis, conſeruandis, augendisque, conſociatis velut animis et iunctis viribus elaboramus? Nam quo maiorem rempublicam ex noſtris laboribus vtilitatem

tatem

tatem percipere videbitis; quo honeſtius, iucundius atque vtilius litterarum noſtrarum ſtudium eſſe intelligetis; immo quo magis neceſſarios hac tempeſtate noſtros labores eſſe cognoſcetis: eo maiori animi laetitia hunc diem celebrandum, eo ardentius vota pro noſtri collegii ſalute ſuſcipienda eſſe iudicabitis. Nulla de re me hodie aptius dicere poſſe arbitror. Hoc igitur agamus.

Iam primum ſi dignitas quaeratur, AA. non levem illam, tenuem aut obſcuram operam, quam in humanitatis ſtudiis ponimus, ſed praeclaram, honeſtam, magnificam, et ſplendidam eſſe dico. Maius profecto eſt hoc quiddam, quam homines opinantur, et pluribus ex artibus ſtudiisque collectum. Nolite enim exiſtimare, vt imperiti aut maleuoli quidam calumniantur, verſari operam noſtram in ſolis verbis, in ſyllabis, in minutis ex anguſtis concertationibus. Nullius artis, nullius diſciplinae fines latius patent, nullius rei doctori tanta rerum varietas et copia ſubiecta eſt, quanta humanitatis magiſtro. Quem enim hoc verbo appellamus? quis dignus eſt tam graui nomine? nempe is, qui et Graecam et Latinam linguam bene calleat, omnem antiquitatis memoriam cognitam habeat, terrarum vrbiumque veteris aeui ſitus memoria comprehenderit, veterum Philoſophorum ſententias teneat, iuris cum Attici tum Romani rationem ſciat, orationem veterum felici imitatione exprimat, eloquentiae atque poetices ſtudiis excultus ſit, non ingenium tantum elegans, ſed oculos quoque eruditos habeat, et de liberalibus artibus, de ſtatuis, de tabulis pictis, de caelatorum, aliorumque artificum virtutibus recte iudicet, qui denique, quae Gallia, Italia, Anglia, (nam de patria noſtra ideo ni-

hil dicam, quia quam turpe ſit, alienas quidem curare regiones, in patria vero, quaſi hoſpitem, errare, facile quisque intelligit,) quae igitur exterae nationes praeclara ingenia et antiquae elegantiae aemula opera extulerint, curioſe cognouerit, eorumque virtutes intellexerit. Noſtra eſt antiqua hiſtoria, noſtra rituum priſcorum cognitio, quicquid in poetis lepidum, apud oratores graue, inter Grammaticos eruditum, in artibus admirabile, id noſtrum eſt: noſter eſt ille, quem haec aetas tantopere iactat, ſenſus pulchri et venuſti. E tanta eruditionis varietate, ex tot artibus exundant atque exuberant humanitatis ſtudia! Hanc igitur diſciplinam, tam grauem, tam variam, tam copioſam, ex tot difficillimis artibus compoſitam dignitate carere dicamus? Has litteras, ad quas percipiendas feliciſſima ingenia, maxima diligentia et diuturnus labor requiruntur, non omni laude, et admiratione dignas eſſe fateamur? Si vero, AA. conſideretis, quid tandem illud ſit, quod plurimi lubenter vſurpant, pauci intelligunt, humanitatis ſtudia colere, non poſſunt non Vobis noſtri labores honeſti, nobiles atque magnifici videri. Nam ſi omnes in gloria ducunt, verſari in aulis, viuere cum regibus et imperatoribus, atque conſuetudine aut amicitia virorum, aut honorum ſplendore, aut rerum geſtarum gloria illuſtrium frui, quam vt ſibi comparent, multi curſitant, ſudant, frigent et maximos labores ſuſtinent: quibus tandem verbis eorum felicitatem praedicabimus, quibus inter maximos omnis aeui viros quotidie verſari liceat? Neque enim exiſtimandum eſt, illos veteres ſcriptores, quorum admiramur ingenia, quorum immortalia ſcripta legimus et imitamur, nullis rebus geſtis claros, nullis muneribus in republica functos, ſicut fere omnes noſtrae aetatis ſcriptores, in vmbra conſe-

consenuisse. Plurimos eorum viros summa dignitate, maximis honoribus, et praeclarissimarum rerum gestarum fama florentissimos, omnes vero honesto loco et nobili genere natos, atque cum summis in orbe terrarum viris familiariter vixisse, accepimus. Quis enim, vt e Graecis quatuor tantummodo in medium producam, Thucydides fuit? quis Xenophon? quis Polybius? Nonne horum aures non magis suauissimis Musarum concentibus, quam formidoloso Martis tumultu et strepitu personuerunt? nonne eadem dextra, qua res maximi momenti memoriae prodiderunt, arma tenuerunt atque hostium copias profligauerunt? nonne totum terrarum orbem immortalium factorum fama impleuerunt? Quis Dio Cassius? nonne bis Consul, atque Africae, Asiae, Smyrnae, Pergami, Dalmatiae atque superioris Pannoniae praeses (*)? Quid vero de Romanis scriptoribus dicam, qui non tantum omnes summum, quod habet mortalitas, fastigium fortunarum assecuti erant? Ponite Vobis, Auditores, solum Ciceronem ante oculos, cuius famam quem eorum, qui nunc viuunt, regum aequare, cuius dignitatem a quo principe superari, putatis? Non capiunt profecto multorum animorum angustiae magnitudinem nominis huius: non assequuntur plurimi splendorem Ciceronis. Magnum nomen est, magna species, magna dignitas, magna maiestas huius nominis. Quem enim Ciceronem fuisse dicamus? Consulem Romanum, id est, primarium illius populi virum, cuius curiam reges obsidebant, cuius nutus complures nationes horrebant, cuius imperium iisdem, quibus solis cursus, regionibus ac terminis continebatur. Nos vero lectionem librorum a tanto viro immortalitati consecratorum leuem censeamus? nos, qui hunc

virum,

(*) v. *Ernest. praefat. ad Cicer.*

virum, cuius imperio neque Romani Imperatoris dignitatem parem eſſe fateamur neceſſe eſt, de magnis rebus dicentem audiat, nihil agere exiſtimemus? Cogitate reliquos, quorum egregia ſcripta benignioris fati indulgentia ad nos peruenerunt: cogitate Catullum, Ouidium, Salluſtium, Tibullum, Propertium, Plinios. Omnes generis ſplendore illuſtres et equeſtri ordine nati ſunt: plerique magnis in republica muneribus functi. Si porro ſaepiſſime accidit, vt ad eorum, quibuscum viuamus, exemplum nos componamus atque formemus, quam etiam ob cauſam homini ingenuo nihil optabilius contingere poteſt amicitia et conſuetudine clarorum virorum: beatiſſimi profecto illi cenſendi ſunt, quibus quotidie inter principes totius terrarum orbis et reges (nam quo eos alio nomine appellem?) verſari licet. Ita enim profecto eſt. Quemadmodum, quando in ſole ambulamus frequenter, etiamſi ob aliam cauſam ambulemus, non fieri poteſt, quin coloremur: ſic etiam ingenium noſtrum et mores a ſtudiis, quibus operam damus, ab hominibus, quibuscum verſamur, a libris, quos legimus, colorem aliquem trahunt. Quare ingenium optimorum ſcriptorum frequenti vſu formatum et bene ſubactum, non poteſt non vrbanitate aliqua, comitate, hilaritate, facilitate, elegantia, et feſtiuitate quaſi colorari, quarum virtutum noſtra inprimis aetate eo praeſtantior eſt laus, quo magis politiores homines omnem aſperitatem morum ruſticitatemque deteſtantur. Quis igitur honeſtiſſimum eſſe noſtrarum litterarum ſtudium neget? quis non illud potius ſumma cum dignitate coniunctum eſſe fateatur? Atque hoc clarius etiam, ſi, quid in veterum libris tradatur, cogitaueritis, apparebit. Grauiſſime alii de deo, de virtutibus, de conſtantia ac fortitu-

dine

dine, de amore patriae, de immortalitate animi, de contemtu mortis ac diuitiarum, de honeſtate omniumque officiorum ratione diſputant: alii prudentiſſime de belli et pacis artibus, de iure ciuili, de legum et iudiciorum auctoritate, de adminiſtratione reipublicae exponunt: maiori alii ſuauitate, elaboratiori compoſitione, dulciori concinnitate ſiue deorum heroumque laudes et egregia facta celebrant, ſiue mentem bonis praeceptis inſtruunt atque ad honeſtam viuendi rationem adducunt: alii denique omnem temporum memoriam peruagati, cauſis euentuum ſagaciter indagatis, virtutibus et vitiis principum libere et vere commemoratis, ſapientiſſimis ſententiis adſperſis, res memorabiles tam apte, tam eleganter memoriae prodiderunt, nihil vt prudentius aut venuſtius legi poſſit. Haec vero laeuia aliquis, tenuia, aut nullius pretii eſſe putet? Nunquam, mihi credite, AA. nunquam Ciceronis epiſtolas lego, quin animus meus, non dico, iucundiſſimo voluptatis ſenſu afficiatur, ſed ſumma quaſi religione impleatur: immo vt verius dicam, nunquam illum librum, quem pueris ſcriptum eſſe vulgo imperiti homines putant, euoluo, quin efferatur, neſcio quomodo, animus meus, et ſeſe grandior excelſiorque quodammodo fiat. Intelligo enim, me eum librum legere, quo familiares ſermones maximorum virorum contineantur: qui expreſſas eorum imagines exhibeat, qui tot tantaque olim effecerint, et quorum ad voluntatem totus orbis terrarum compoſitus fuerit: qui ſapientiſſimas de ſalute ciuium, de cauſis regum et prouinciarum, de magiſtratibus, de rebus belli et pacis diſputationes habeat. Si vnusquisque noſtrum, ſi fieri poſſet per rerum naturam, Catonem, Pompeium, Iulium Caeſarem, Octauianum, Atticum, Plancum, Brutum, alios, quorum

nomina

nomina per omnium seculorum memoriam viuent, videre cuperet, eorumque si sermonibus interesse posset: magno hoc sibi honori duceret. Quidni etiam honorificum esse censeamus, non tam oris et vultus, quam ipsius potius animi pectorisque formam in his epistolis adspicere, eosdemque de maximis rebus humanissime inter se colloquentes audire? Quis non horrore quodam sacro perfundatur, quoties animo non solum, sed paene oculis sese inferunt manes illi magni? et quando ingentia illa pectora nudata adspicias, quis non commoueatur? Restat vnum, quod magnificentiam et splendorem nostrarum litterarum maxime ostendit. Nam si eo pluris res quaeque aestimanda est, eoque illustrior eadem est, quo magis illa a summis regibus atque viris colitur, amatur et celebratur: quanti, per Deum! nostras litteras aestimandas esse dicam? Nulla profecto ars, nulla scientia tot reges amatores habuit, quot humanitatis studia: nullae disciplinae maiores honores habiti sunt, quam nostrae: nullius doctores maiori honore et dignitate ornati et amplioribus praemiis decorati sunt. Cogitate, quaeso, quantis in deliciis habuerit Archelaus Euripidem, Hiero Pindarum, Virgilium et Horatium Augustus. Quale vero hoc, quantumque est, quod, recitatis in theatro versibus Virgilii, populus Romanus, ille victor dominusque omnium gentium, consurrexit vniuersus, et forte praesentem Virgilium non aliter veneratus est, quam ipsum Augustum? Sed non lubet plura huius rei exempla ex antiquis temporibus repetere. Habuit enim omnis aetas plures nostrarum litterarum patronos. Petrarcham accepimus magna apud Italiae principes gratia floruisse, et vno die a duobus disiunctissimis et illustrissimis locis, Roma et Parisiis, ad capiendam lauream poeticam inuitatum

esse,

esse, atque adeo duas maximas vrbes de hoc honore certasse. E Medicea familia, cui bonae litterae plurimum debent, et Laurentium, principem Florentinum, et Leonem X. Pontificem Romanum, Angelum Politianum, Marsilium Ficinum, Ioannem Picum, Petrum Bembum, Iacobum Sadoletum, alios humanitatis doctores coluisse et adamasse, legimus. Quis ignorat, quantis praemiis Sannazarius a Veneta republica ornatus sit, quantum Franciscus I. Rex Galliae et parens litterarum, his studiis deditus fuerit, quantum Regina Angliae, Elisabetha, Ioannem Sturmium coluerit, quamque humanas ad eum scripserit litteras? quis nescit, quam charum habuerit Iacobus, Rex Angliae, Buchananum, quantis sumtibus Christina, Sueciae Regina, Vossium, Freinshemium, Salmasium, Heinsium, Meibomium, Boeclerum, alios accersiuerit? quam amicis eosdem litteris compellauerit? Nihil dicam de amore Caroli IX. Regis Galliae erga Petrum Ronsardum; nihil de multorum Italiae principum studio erga Torquatum Tassum: nihil de honoribus a Batauis Scaligero et Salmasio habitis: nihil de complurium principum fauore et studio erga Iustum Lipsium: nihil de Ludouico XIV. qui, cum omnium artium, tum inprimis humanitatis litterarum doctores mirifico fauore et amplissimis praemiis prosecutus est. Nam quid externa exempla conquiramus? Ipse Fridericus Augustus, optimus meae patriae pater, cum in Italia versaretur, cuius sermonibus magis delectatus est, quam elegantissimi Aueranii, quicum saepissime collocutus est? Quid? quod ipsa Maria Antonia, spes et amor Saxoniae, se in nobilissimum, quod Romae floret, Arcadum collegium cooptari non inuita passa est, quale hoc quantumque Vobis videtur? Plurima dicere possem, si de illo Rege,

 quem

quem olim aequa posteritas summis omnis aetatis principibus adnumerabit, quemque nos toti fere Europae inuicta virtute resistere mirabundi videmus, exponere liceret. Verum non puto rerum clarissimarum toto orbe, nullique mortalium ignotarum a me commemorationem vos exspectare. Quid multa? nulli disciplinae aliquid detrahere cupio: sit sua cuique laus, suus splendor, sua dignitas. Hoc mihi tamen vere videor esse dicturus, nullas vnquam tanta apud viros summos, reges, et principes auctoritate et gratia floruisse, quam humanitatis, litteras. Effecisse mihi videor, AA. vt nostrarum litterarum studium a nemine, tanquam humile et indignum ingenui hominis et liberaliter educati ingenio, contemni debeat. Honestissimi nostri sunt labores, summaque cum dignitate coniuncti: versamur in artibus, quibus nihil illustrius, quaeque maximo suis cultoribus sunt ornamento. Neque etiam multos de litterarum nostrarum dignitate dubitare existimo. Minime enim obscurus est illarum splendor. Plures esse audio, qui haec studia aspera, molesta, et iniucunda esse dicant, eaque aut nihil, aut certe parum, delectationis habere putent. Cum his igitur, quoniam eos non malo consilio et animo maleuolo, sed inscitia atque ignorantia, peccare noui, non acerbius, sed amice et placide agam, atque breuiter de litterarum nostrarum suauitate exponam. Nam si omnia dicere vellem, et dies et vox me deficeret. Quare poeticam tantummodo et historiam attingam.

Atque de illa quidem cum dicimus, de re omnium suauissima et iucundissima dicimus. Quae concinnae compositionis suauitas! quam dulcis modulatio! qui verborum splendor! quae sententiarum venustas! quod acumen

acumen inuentionis! Geſtit aliquis magna et immortalia heroum facta audire? Homerum, Pindarum, Virgilium, Claudianum, Statium, Silium adeat. Virtutis alius praecepta, cum ex magno atque excelſo animo profecta, tum ſumma cum ſuauitate tradita cognoſcere cupit? Horatium accedat, Lucretium et reliquos omnes. Amoeniora aliquis amat, liquores pellucidos amnium, virides riparum veſtitus, fontium gelidas perennitates, apricos colles, ſegetes flauas atque veſtita floribus, herbis, arboribus rura? Theocritum, Heſiodum, et Virgilium euoluat. Vbi denique iucundius ad laetitiam excitamur? vbi grauiores de omni virtutum genere ſententias legimus, quam in eorundem poetarum carminibus? O felices, quibus ſuauiſſimis his epulis animum explere et paſcere liceat! o beatos, quibus quotidie iucundiſſimos hos virtutum magiſtros accedere detur! Hiſtoria vero cum omnium populorum magnam iucunditatem habet, tum Romani eo eſt praeſtantior, quo longius ille omnibus reliquis maieſtate et poteſtate antecelluit. Nulla alia gens, ne Graeca quidem, tantam ſummorum virorum copiam, tantam eximiorum exemplorum praeſtantiam, tantam tamque admirabilem rerum varietatem habet, quam Romana. Quam obſcura et tenuia illius primordia! quam admirabiles progreſſus! quae bella! quae praelia! quae victoriae! quae fortitudo, quae conſtantia, quod robur in bellis! quae in pace moderatio atque prudentia! quae turbae inteſtinae! quae omnium rerum confuſio atque perturbatio! quam repentina priſtinae maieſtatis iactura! quam inſignia et illuſtria omnium virtutum et vitiorum exempla! Hanc vero varietatem et magnitudinem rerum ſi quis attente conſideret, de hiſtoriae Romanae ſuauitate nullo modo dubitare

 poteſt.

potest. Praeterea res Romanae, tam magnae, tam praeclarae, ab eiusmodi viris memoriae proditae sunt, qui rebus vel tenuissimis et obscurissimis maximum splendorem addere potuissent. Fato profecto quodam accidisse videtur, vt et res illustrissimae, omnique memoria dignissimae a praestantissimis scriptoribus posteritati traderentur, et praeclara ingenia dignissimum sua praestantia scribendi argumentum haberent. O magnam litterarum nostrarum suauitatem! o voluptatem incredibilem! Videntur prope reliquarum artium doctores inter sentes et vepres, certe non in tam iucundis locis versari, quam nos, qui in amoenissimis Musarum hortulis viuentes tot suauitatibus oculos pascimus animumque exsaturamus. Hic aures nostrae iucundissimis carminibus mulcentur; hic animus grauissimis sententiis et sapientissimis praeceptis instruitur: hic immortalia facta intuentes ardore quodam honesto aemulationis inflammamur. Hic Brutum, maximum illum libertatis defensorem, reges expellere, cum Tarquinio filio manum conserere, atque vtrumque hasta transfixum et moribundum ex equis labi: hic Horatium Coclitem hostium impetum suo vnius corpore excipere, armatumque in Tiberim desilire: hic C. Mucium illam dextram, quae a Porsennae corpore aberrauerat, alienato ab sensu animo torrere: hic M. Curtium equo maxime ornato insidentem armatumque se in specum immittere et Decios se pro suis deuouere: hic Valerium Coruum, C. Sulpicium, T. Manlium Torquatum, L. Papirium Cursorem, Q. Fabium Maximum, Aemilium Paullum, et illa fulmina belli, Scipiones: hic, (vereor enim, ne, si omnia admiratione digna facta vel verbo attingam, beneuolentia Vestra, qui me tam attente auditis, abutar) hic

hic igitur heroa illum, Catonem, praeclara morte oſtendere intuemur, poſſe virum fortem inuita fortuna viuere, inuita mori. Quantum vero ex iucundiſſimo hoc ſpectaculo voluptatis percipiatur, nemo ignorabit, nemo non ſentiet, qui monimenta hiſtoriae Romanae diligenter legerit. Defixus in maximarum rerum contemplatione animus, incredibile eſt, quam ſuaui paſtu expleatur.

Verum cum ſolam neque dignitatem neque iucunditatem in vita ſpectare debeamus, (quanquam vtramque optimus quisque ſpectat, atque, vt aſſequatur, vehementer laborat): vtilitas etiam litterarum et laborum noſtrorum mihi demonſtranda eſt. Atque hic mihi patentiſſimus aperitur campus, in quo excurram, vbi exultem, vbi eloquentiam, ſi qua in nobis eſt, oſtentare poſſim: hic ampliſſimam rerum ſegetem ac materiam ſe mihi offerre animaduerto. Eſt enim magna noſtrarum litterarum vis, magna ad omnes vitae partes vtilitas. In omnia ſtudiorum genera, in artes cum liberales, tum illiberales, in omnes vitae ordines admirabiles vtilitates longe lateque illae diffundunt: ſunt illae diſciplinis reliquis, quod fulcra et fundamenta aedificio. Nam quantum ſtudia noſtra ad prudentiam ciuilem conferant, vel ex eo patet, quoniam ſummi viri in litteris noſtris, quicquid a publicis priuatisque negotiis dabatur otii, id omne conſumſerunt. Memoriae proditum eſt, Alphonſum, Arragoniae Regem, ſuauiſſime Curtii, et Guilielmum Fridericum, Naſſouiae principem, Taciti lectione delectatum fuiſſe. Regis alicuius Sinenſis iuſſu Curtii hiſtoriam in Sinenſem linguam translatam eſſe, qui eo tempore in regionibus illis verſati ſunt, commemorant. Eugenium vero, illum terro-

rem Turcarum, propugnaculum illud Chriſtiani nominis, Iulii Caeſaris commentarios in deliciis habuiſſe accepimus. Quis vero credat, tantos viros verborum, aut Latinae linguae addiſcendae cauſa hos libros legiſſe? quis contra non intelligit, illos hanc lectionem ſibi in adminiſtranda republica, in gerendis bellis, in aliis magnis rebus agendis iudicaſſe vtilem fore? Atque etiam ſi, quod imperiti quidam dicunt, praeter Latine loquendi dicendique facultatem, nulla ex veterum auctorum lectione vtilitas percipi poteſt: quomodo factum eſt, vt maiores noſtri, prudentiſſimi homines, eorum lectionem iuuentuti commendarent, nec potius iuuentuti Terentios et Virgilios Chriſtianos, quibus nihil ineptius cogitari poteſt, traderent? Facilius enim iſti et intelligi poſſunt, et explicari, quam veneranda priſci aeui monimenta. Sed nimis multa dicenda eſſent, ſi eo deſcenderet mea oratio, vnde non facile exitum inueniret. Tot enim mihi in mentem veniunt, vt mihi non tam orationis copia quaerenda, quam videndum potius ſit, quomodo Veſtrae ſatietati occurram. Satis mihi, ſatis litterarum noſtrarum praeſtantiam oſtendiſſe videbor, ſi quam arcto ſint cum Philoſophia et Theologia, quae praeſtantiſſimae diſciplinarum habentur, vinculo coniunctae, oſtenderim, atque has illarum auxilio minime carere poſſe docuerim. De hoc igitur pauca dicam.

Primum equidem mihi perſuaſi, eam eſſe nobiliſſimam Philoſophiae partem, quae non in vmbra vanam ſubtilitatem exerceat, ſed quae nos in ſolem, in conſpectum hominum producat, quae nos bonos et reipublicae vtiles ciues praeſtet, quae nos rebus gerendis idoneos reddat. Iam quo exercitatior quis-

que

que ſit maximis in rebus agendis et ſuſtinendis, eo melius illam ab eo doctrinam tradi poſſe patet. Quos vero, Auditores, exercitatiores noſtis veteribus Philoſophis? quos maioribus vnquam in republica muneribus functos eſſe putatis? Non enim tum Philoſophia roſtris pulſa, curia eiecta, concione excluſa, in vmbram et ſcholam, tanquam in aliquod piſtrinum, detruſa erat. Verſabatur tum illa in ſole, in foro, in caſtris: non otioſa erat, non inutilibus quaeſtiunculis tempus conſumebat, ſed maximis muneribus admouebatur. Si igitur Ariſtoteles, ſi Plato, qui regum familiaritate vſi fuerunt, ſi praeclarus imperator, Xenophon, ſi ille Conſul Romanus, Cicero, de iuſtitia, de aequitate, de officiis, de republica diſputant, nonne lubentius eos audiamus, quam iſtos, qui, nunquam in luce verſati, in vmbra et ſchola conſenuerunt? Habent etiam hoc veterum Philoſophorum ſcripta, vt non ſolum nos bene et recte, ſed pulchre quoque cogitare atque cogitata eleganter eloqui doceant. Nam cum illi, quorum ad nos peruenerunt libri, nulla in diſciplina rudes eſſent, et veriſſime ſibi perſuaderent, neminem vna in arte excellere poſſe, niſi idem omnes attigiſſet, neque eloquentiam a ſubtilitate disiungendam eſſe crederent: quid mirum, ſi tantam ex hiſtoria rerum varietatem attulerint, tot inſignibus poetarum locis diſputationes ſuas diſtinxerint, tam eleganter et diſerte de omnibus rebus ſcripſerint? Verum noſtra aetate hanc multos philoſophos animo ſententiam imbibiſſe audiui, indignam eſſe elegantiae et puri ſermonis curam grauitate et pallio Philoſophi, atque, quo quisque horridius et impurius ſcribat, eo maiori illum laude dignum eſſe. Qui profecto aliter ſentirent, ſi corruptum et vitioſum ſermonem ipſarum artium et diſciplinarum cor-

 ruptionem

ruptionem maiorum noſtrorum aetate ſecutam eſſe recordarentur. Nam eloquentiae ſtudio neglecto et his litteris contemtis abiectisque, nonne paullo poſt vera et recta philoſophandi ratio ſenſim extincta eſt? At illis reuocatis, haec etiam reuocata fuit. Si porro totam Philoſophiae hiſtoriam attente perluſtratis, quos inuenitis magnos Philoſophos fuiſſe, niſi qui veteres ſcriptores diligenter legerint? Viuunt viuentque per omnium ſeculorum memoriam Petrarcha, Baco Verulamius, Gaſſendus, Neutonus, Carteſius, Lockius, Leibnitius. Iacent omnes, quos ſeculum duodecimum tulit, Petri: Abaelardus, Lombardus, Comeſtor, Cluniacenſis, Rigenſis: iacent cum Sententiariis Scotiſtae atque Thomiſtae omnes. Iacebunt etiam poſt quinquaginta aut centum annos multi, qui ſibi nunc compendiis ſuis monimenta exſtruxiſſe videntur, nulla oblitteranda obliuione, nullaque temporis iniuria aut diuturnitate conuellenda. Nemo profecto curabit poſterorum, quibus ſub ſignis ii militauerint, quos de anguſta cathedra fulminantes tonantesque miratur nunc imperita iuuentus, quosque omnes, qui diſſentiant, indignis probris lacerantes et rauco gutture atque vulturina ſpecie damnantes laetabunda audit, atque ruſtico pedum ſtrepitu et ridiculo calceorum iudicio laudat et probat iuuenilis leuitas. Quid denique de ipſa veterum Philoſophorum doctrina dicam? Non tam ieiuna illa eſt, tam tenuis, vt multi Vobis perſuadere cupiunt, qui eorum auctoritati ideo detrahere conantur, ne, cognita illorum praeſtantia, ipſi ſoli relinquantur in ſcholis. Quis enim illis in dialecticis ſubtilior? quis in officiis tradendis acutior? quis in moribus regundis elegantior ſeueriorque? Plurimae profecto ſententiae, ne dicam omnes, plurimae opiniones, quas ſe primum

protuliſſe

protulisse recentiores Philosophi gloriantur, dudum a veteribus prolatae, dudum in eorum libris lectae sunt. Verum neque loci, neque temporis huius est, copiosius hoc atque exemplis allatis ostendere velle. Sunt enim, quae de hac re dici possint, innumerabilia.

Quid denique praestantius aut ad laudem litterarum magnificentius dici potest, quam illarum ope integritatem sanctissimae nostrae religionis, misere commaculatae turpissimis sordibus, neque yllum priscae, siue maiestatis, siue pulchritudinis, vestigium retinentis, redditam patribus nostris atque restitutam fuisse? Dicam, quod magnorum virorum auctoritate adductus sentio, libere. Si a diuino Numine discesserimus, causae instauratae purioris religionis ab instauratis ante litteris repetendae sunt. Mirum videbitur hoc quibusdam, qui metaphysicis suis armis induti, nec impudentia exigua instructi, quiduis se efficere posse existiment, neque aliis auxiliis se indigere credant. Vera tamen iis dixisse videbor, qui recte de his rebus iudicare sciant. Primum est incredibilis quaedam et singularis nostrarum litterarum vis in acuendis ingeniis hominum, iisque ad sentiendi dicendique libertatem defendendam excitandis. Non patitur animus iis politus se adstringi atque alligari erroribus, licet nobilissimorum hominum auctoritate confirmatis: non sustinet, carcere quasi inclusus, in tenebris diu versari et seruilibus vinculis constringi: non ille auctoritatibus, non praeiudicatis, quibus verum iudicium tollitur, opinionibus, non superstitione anili mouetur: sed veri reperiendi studio inflammatus, suo omnia momento ponderans, et, quid in quaque re veri sit, sollerter indagans, erroribus profli-

 gandis,

gandis, ſuperſtitioni exſtinguendae, veritati tradendae, omnique modo propugnandae intentus eſt. Iam conſiderate paullulum, AA. illa tempora, quibus Romani epiſcopi ſummam ſibi in terris auctoritatem arrogauerant. Lux litterarum fuit extincta: omnium liberalium artium honos erat ſepultus: ſuperſtitio, fuſa per gentes, omnium animos oppreſſerat atque hominum imbecillitatem occupauerat: domina omnium et regina, lux lumenque vitae, ratio, de faſtigio ſuo erat deturbata: dicendi ſentiendique libertas e medio ſublata. Poſteaquam autem humanitatis ſtudia a Petrarcha in Italia reſtaurata, a Beſſarione, Gaza, Muſuro, Poggio, Valla, Iouiano Pontano, Leonardo Aretino, Perrotto, Philelpho, Calepino, Politiano, aliis corroborata, atque inde cum in omnes terras a viris doctis, tum in Germaniam a Rudolpho Agricola, Io. Trithemio, Conrado Celte, Ioanne Regiomontano, reliquis erant translata, incredibile eſt, quam repente epiſcopi Romani auctoritas imminuta ſit. Affulſit ingeniis hominum noua quaedam veritatis lux: complures, Latinarum et Graecarum litterarum ſtudiis politi, ſuperſtitionem illam et intellexerunt et mox irriſerunt: paullo poſt veritati, deterſo priſtino ſitu et ſqualore, dignitas ſua ſuumque decus reſtitutum fuit. Nam, vt Petrarcham omittam, quem recte Flacius inter teſtes veritatis refert, mihi credite, AA. vnus ille Eraſmi libellus, qui feſtiuiſſimos dialogos continet, quibus monachorum inſcitia, ignauia, auaritia, ſtupor, ſcelera perſtringuntur, eorumque temporum ſuperſtitio irridetur, plus ad acuendos hominum animos, ad deprimendam ſacrificulorum auctoritatem, ad purgandam religionem, ad detergendas, quibus deformata erat, maculas profuit, quam multa Theologorum volumina. Deinde,

ſi

ſi ipſam religionis naturam contemplemur, omnem illam ſacris libris contineri fateamur neceſſe eſt. Erit igitur cognitio illius ab horum interpretatione repetenda, et quo melius haec inſtituetur, eo illa certior, verior et purior erit. Quem vero meliorem ſacrorum librorum interpretem eſſe putatis eo, qui Hebraicas, Graecas et Latinas litteras bene calleat, antiquitatum priſcorumque rituum rationem cognitam habeat, qui Critices leges bene intelligat, atque ad eas aetatem librorum, codicum ſcripturam, indolem et ſcribendi genus auctoris exigat, vno verbo, qui noſtrarum litterarum ſcientia inſtructus ſit? Quid igitur clarius, quam humanitatis diſciplinam plurimum verae religionis doctrinae adiumenti adferre? quid certius, quam Muſarum domiciliis ſubrutis ipſa Dei templa euerti atque corruere? Quare etiam quo doctior quisque praeſtantiorque ſacrarum litterarum doctor fuit, eo maius his litteris pretium ſtatuit, eoque vehementius ad earum ſtudium iuuentutem adhortatus eſt. Cogitate Lutherum, qui, quantum illis tribueret, ſaepius oſtendit, cogitate Melanchthonem, Flacium, Martinum Chemnitium, Dauidem Chytraeum, Gerhardum, Glaſſium, Dilherrum, Raphelium, Cyprianum, Olearios, Loeſcherum, Ianum, Deylingium, Mosheimium, cogitate illum, cuius voce toties hi parietes perſonuerunt, illum magnum, illum immortalem Buddeum. Non hi ipſi ſolum in illis addiſcendis multum operae temporisque poſuerunt, ſed etiam ſummopere illarum amorem ſacrarum litterarum ſtudioſis commendauerunt, earumque doctores meriſſimis ſemper laudibus celebrauerunt. O magnificam noſtrarum litterarum laudem! O egregios noſtros labores digniſſimosque, quibus bonam fortunam appreceminι, AA.

Quid denique, (non enim diutius tenendi eſtis) de eo dicam, quod quo triſtior hac tempeſtate noſtrarum litterarum eſt facies, eo pluris noſtri labores ſunt aeſtimandi? Languent plerisque in locis liberalium artium ſtudia: illi ipſi, qui litterarum magiſtri dici haberique cupiunt, incomto et barbaro ſermone vtuntur: Philoſophi tot quotidie ſordibus ingenuam pulcherrimamque Philoſophiae faciem conſpurcant, tot verborum monſtra euomunt, vt vix homines loqui putemus. Inuaſit multorum animos languor ſomnusque, ac ſomno et languore turpior peiorque malarum rerum induſtria: non ſeuera lege proficere, non maiorum veſtigiis inſiſtere volumus. Verentur boni et docti viri, ne, fugientibus Muſis, quae a paucis retinentur, ex noſtris regionibus, noua adepta vires obrepat ſenſim foediſſima barbaries, omniaque occupet. Vbi nunc antiquae diſciplinae ratio viget? Vbi nunc litterati illi heroes? vbi Scaligeri, Cuiacii, Heinſii, Reineſii, Lipſii, Conringii? vbi ſimiles illorum, qui maiorum noſtrorum aetatem illuſtrauerunt? Eſt praeterea hic annus, neſcio quo fato, rei litterariae maxime fatalis, doctiſſimis viris praematura et luctuoſiſſima morte nobis ereptis. Abſtulit enim hoc anno, abſtulit inexorabilis fati acerbitas quosdam, quos non ſine acerbo animi ſenſu ac dolore nomino: Oudendorpium, Hoadleium, Buonamicum, Auguſtum Fridericum Mullerum, Mazzolenum, Maſcouios, Freytagium, Wollium. Lugent, lugent Muſae primarium ſuum decus: luget vniuerſus, qua cultioribus litteris pretium ſtatuitur, orbis, ſuum ornamentum: luget Germania communem ſuum praeceptorem: lugemus etiam nos optimum collegam, Io. Matthiam Gesnerum, placide nuper pieque defunctum, cuius de laudibus eo minus opus eſt aliquid dicere, quo clarius

rius tot immortalia illius ſcripta, tot, qui ex ipſius ſcholis prodierunt, viri docti, ingenium et doctrinam viri ſummi teſtantur. Quid vero in tanta doctorum virorum iactura aliud agendum nobis eſt, quam vt decus litterarum maxima ope tueamur et barbariae reſiſtamus?

Cum igitur tanta ſit noſtrarum litterarum praeſtantia, cum nihil aut maiorem nobis honorem et dignitatem, aut ſuauiorem voluptatem afferat, cum nulla eruditionis pars illarum ope carere poſſit, cum Philoſophiae plurimum et ſplendoris et elegantiae concilient, cum magno purioris religionis doctrinae praeſidio ſint: quid viro bono maiori curae eſſe debet, quam vt illae florentiſſimae ſemper ſint? in quo nos acrius elaborare debemus, quam vt decus earum conſeruetur? qui vero magis laudandi, quam qui fugientes iam ex his terris Muſas ſumma ope nitantur retinere? Iam nobis, AA. (dicam enim, non reuerens oſtentationis ſuſpicionem) nihil aliud propoſitum eſt, quam vt humanitatis diſciplinae in dies magis magisque effloreſcant, vt excitentur ad earum ſtudia ingenia liberalia, vt gloriam a maioribus acceptam tueamur, vt omnibus viribus barbariae reſiſtamus, vt res pulcherrimae vtiliſſimaeque in his terris conſeruentur. Huc enim cogitationes noſtrae tendunt: hoc in conuentibus noſtris ſpectamus: hoc Acta noſtra loquuntur: hoc conſilio noſtrum collegium inſtitutum eſt. Nihil igitur aequius, quam vt hic dies laetus nobis, ſacer, feſtus et ſollemnis ſit: nihil grato et ingenuo homine dignius, quam vt memoriam optimorum noſtri collegii conditorum, Herzogii, Kromayeri, Halbaueri, grata recordatione renouemus: nihil quod ab humanitate Veſtra, Veſtroque

que erga liberales artes atque ipſam rempublicam animo certius exſpectemus, quam vt noſtro inſtituto faueatis, pro noſtra ſalute vota nuncupetis atque haec gaudia Muſis Ienenſibus perpetua eſſe precemini.

Nunc ego te, Deus, Optime Maxime, cuius nutu et arbitrio coelum, terra mariaque reguntur, et qui has litteras omnemque ſapientiam hominum generi dediſti, oro atque obſecro, vt, ſi eo, qui tibi probatur, animo in ſtudiis humanitatis verſamur, ſi non vana ambitione adducti, non quaeſtus noſtri et commodi cauſa, ſed tuae gloriae, quantum mortalium imbecillitati licet, propagandae intenti, conuenimus atque litterarum ſtudia exercemus, ſi noſtri labores religioni, reipublicae, atque huic Academiae vtiles ſunt, vt tu tuo numine atque auxilio noſtra ſtudia adiuues, noſtros labores fortunes atque noſtrum collegium quam diutiſſime florentiſſimum eſſe iubeas!

III.

Oratio

die natali Sereniſſ. Principis Vinarienſis Annae Amaliae Ienae, a. C. 1761. habita.

Dicturus hodie de laudibus Sereniſſimae Principis ac Dominae, Annae Amaliae, primum Deo optimo maximo, rerum omnium auctori et moderatori, quantas maximas animus noſter capere poteſt, gratias ago, qui feliciſſimum hunc diem illucere nobis, iucundiſſimaque luce animos noſtros, communi Germaniae calamitate proſtratos, praeteritorum memoria

moria perculſos et futurorum metu ſuſpenſos, exhilarari iuſſit et recreari, atque omnibus ciuibus, toti Vinariae et Iſenaco, aulae, huic academiae, nobis ſummum gaudium et incredibilem voluptatem attulit. Nam quemadmodum nautis diu iactatis commoto mari, diu fulminum igne et ventorum ira territis, diu inter ſpem metumque dubiis, nihil iucundius accidere poteſt, quam ſi ſubito aſtra caelo eniteſcere aut ipſum ſolem, obductum ante nubibus, caput exſerere videant: ita etiam nobis, horrida belli tempeſtate perterritis, tanta circumcirca fulminum vi cadente, hunc diem nouas ſpes donare, nouaque laetitia animum noſtrum perfundere ſentimus. Arſit iam per quinque annos tota Germania tam funeſto et atroci bello, vt nulla illius pars ſalua et integra eſſet, vt multae pulcherrimae vrbes dirutae, multae opulentiſſimae villae incenſae, multa millia hominum occiſa, agri vaſtati, aeraria exhauſta, opes conſumtae, atque nemo vsque eo Germani nominis hoſtis reperiretur, qui hanc calamitatem ſine lacrimis adſpicere poſſit. Hoc vero die, qui ſummis, infimis, mediocribus valde exoptatus et iucundus aduenit, qui Vinariae praeſtantiſſimam Principem, ciuibus amantiſſimam matrem, Germaniae atque omni Europae illuſtre praeclariſſimarum virtutum exemplum dedit, nos omnis triſtitiae obliuiſcimur, omnem dolorem corde expellimus, omnium malorum memoriam deponimus, feſtum diem agimus, exultamus, atque ore, oculis, manibus illam, quae pectore contineri nequit, quae foras geſtit erumpere, laetitiam teſtificamur. Celebremus, celebremus diem ad immortalem omnium temporis totiusque poſteritatis memoriam aureis litteris in faſtis conſignandum: gratias Deo pro tam diuino beneficio agamus, eundemque oremus, vt, qua

nobis

nobis benignitate optimam Principem concesserit, eadem illam conseruet, diuque ciuium delicium, afflictorum perfugium, innocentium praesidium, miserorum solatium esse iubeat. In hac igitur omnium bonorum laetitia, in plausu terrae Vinariensis et Isenacensis, in faustis ciuium acclamationibus, quibus omnia personant, etsi facile intelligam lubenterque fatear, quemuis alium copiosius et melius, non dico diuinas Amaliae virtutes laudare et commemorare, (nam earum magnitudo vel excellentissimi oratoris ingenium fatigat, omnemque eloquentiam superat) sed pium et laetum ciuium sensum exponere posse, idem tamen nullum, qui easdem virtutes me magis admiretur et veneretur, qui, quod omnium pietas agere gestit, lubentius verbis praeeat faustisque ominibus, qui, vt hoc gaudium perpetuum sit his terris, ardentius optet, reperiri posse arbitror. Quare cum tantus sit virtutum Amaliae splendor, vt omnium animos excitet et extollat, neque mirari debetis, AA. cum tot eruditissimi viri sedeant, me peregrinum hominem, neque aetate, quae valde tenera est, neque ingenio, quod exiguum esse intelligo, neque dicendi vsu aut eloquentia, cuius exercendae perpaucas habui occasiones, cum illis comparandum, hodie in hunc locum adscendisse, neque, cum idem splendor omnium oculos praestingat, exspectare a me, vt orationis sublimitate earum virtutum praestantiam exaequem, quas etiam cogitatione assequi difficillimum est. Licet huius ingenii imbecillitati summa tantum rerum capita attingere, licet non perfectam imaginem Amaliae exhibere, sed diuinas virtutes adumbrare tantummodo. Vos vero tacita cogitatione atque animo reliqua prosequemini, atque ita iudicabitis, quo pauciora a me dicantur, eo plura restare, et quo exilius

lius ego tenuiusque ea percurram, eo maiora illa eſſe, quam vt a quoquam, ſi quis deus illi vel maximam dicendi vim atque facultatem concedat, explicari dicendo et commemorari poſſint.

Vnde vero exordium meae orationis repetam? aut qua de re primo loco dicam? Tanta ſe mihi copia offert, tantam materiam laudum conſpicio, vt ipſa hac copia non mediocriter me perturbari atque inter ipſas diuitias pauperem eſſe animaduertam. Tot illuſtres atque eximias res video, vt, quid primo loco ponam, quid vltimo, plane neſciam. Plerique quidem oratorum laudum initium a natalibus arceſſunt, dicendique capiunt primordia a generis vetuſtate, nobilitate, ſplendore. Conſtat enim, magnam eſſe vim ſanguinis et originis, ac plerumque praeclaris maioribus ortos eorum veſtigia perſequi videmus. Inde liberos ſemper aliquid ex indole maiorum cum ipſo ſanguine trahere, atque iam in iis ſemina quaedam magnarum virtutum ineſſe arbitrantur homines, quae efflorescant deinde, et fructus ferant ampliſſimos. Quorum quidem ſi inſtitutum imitari vellem, quantum exultare poſſem, quot, non horas, ſed dies et menſes dicendo conſumere? Nam, ſi in veterum temporum memoriam redire vellemus, ſinguli maiorum Amaliae oratione laudandi et celebrandi eſſent. Quis ignorat antiquiſſimam domum Guelficam, illam tot ſapientiſſimorum principum, rerumque geſtarum gloria inſignium foecundiſſimam genetricem, illam cum ſummis Germaniae atque Europae principibus ſanguine et adfinitate coniunctam domum? Quis tot illuſtres Guelficos principes adſpicit, quin incredibilem illorum fortitudinem, fidem, conſtantiam, magnitudinem animi, reliquasque virtutes admiretur, quae

principe dignae ſunt? Eſt domui illuſtri gloriae, duces, qui plurima pericula adierint, magnis copiis praefuerint, maiores hoſtium profligauerint, et maximis bellis geſtis ſuo ſanguine ſibi nunquam intermorituram gloriam acquiſiuerint, oſtendere? oſtendit domus Guelfica. In laude ducitur, principes, qui ſapientiſſimas leges tulerint, libidinem et ſcelus conſtrinxerint, luxum et licentiam expulerint, omnibusque modis optime ciuium ſaluti proſpexerint, habuiſſe? habuit domus Guelfica. Glorioſum cenſetur, abſoluta et perfecta fidei, integritatis atque pietatis exempla exhibere? exhibet domus Guelfica. Magnum aliquid eſt et eximium, defenſores ſanctiſſimae noſtrae religionis et Germanae libertatis vindices commemorare? commemorat domus Guelfica. Intelligetis, AA. quam largam dicendi materiam, quam amplam copiam genus et maiores Amaliae oratori praebeant. Quis enim neſcit illum Georgium, qui in fatali illo et pernicioſo bello praeclaram Germaniae operam nauauit? quis Wilhelmos? quis Erneſtos? quis Carolos? Neque vero domus Guelfica antiquis tantum temporibus ferax fuit virtutis et magnanimitatis, ſed habuit etiam recentiori aetate, habet noſtro tempore principes, quorum fortitudinem et ſapientiam omnis poſteritas praedicabit, quorum virtutes per omnium ſeculorum memoriam vigebunt. Quo vero maiores in ipſa Amalia virtutes ſplendent, eo lubentius de illis taceo. Laudare enim me video Principem, quae laudibus praeclariſſimae domus ipſa ſuis virtutibus magnum ſplendorem affert, quae generis nobilitatem nunquam aliter, quam incitamentum virtutum, conſiderauit, quae auitam et paternam felicitatem inſignem ſtimulum et perpetuum hortamen eſſe voluit, vt ipſa poſitam ante oculos gloriam adſeque-

adſequeretur. Satis ſit nobis, ſi in Amalia indolem Guelficam agnoſcamus; ſatis ſit, ſi Amalia non aliter, quam illuſtres maiores, ad gloriam, ad virtutem adſpirat, atque hoc in ſummis laudibus ponit, ſi de humano genere bene mereatur.

Rapit praeterea ad ſe animum oculosque, neque diutius me de his dicere patitur diuina illa Amaliae facies, in qua virtutem animi, amorem patriae, praeclariſſimarum artium ſtudium tanquam litteris deſcriptum et conſignatum videmus: rapit ad ſe illa corporis maieſtas et pulchritudo, quam natura ideo effinxiſſe videtur, vt dignum tot virtutibus ſacrarium et delubrum pararet. Nam etſi corporis forma neque addit quidquam, neque detrahit animi virtutibus: multo tamen iucundius laetiusque animus nobilis et generoſus in pulchro domicilio habitare videtur. Iam vero ſi maieſtatem corporis, ſi pulchritudinem Amaliae pingere vellem, idem profecto agerem, quod pictor, qui radios ſolis coloribus atque penicillo exprimere conaretur. Quis enim audeat illam pulchritudinem, in qua formanda ipſa natura omnes ſuas vires experta eſſe videtur, deſcribere? illum oris frontisque ſplendorem, qui ipſarum gemmarum nitorem, niſi exſtinguat, certe obſcuret et minuat, commemorare? illius maieſtatem corporis laudare, quod ab ipſarum Gratiarum manibus, quae diu dignam ſua venuſtate ſedem quaeſiuerant, formatum compactumque eſſe videtur? Hic vero clariſſimus quidam antiquitatis pictor imitandus eſt, qui, quae coloribus exprimi poſſe deſperauit, velamine obtexit, atque ſic liberam cuique ſpectatorum iudicandi copiam fecit, quale tandem quantumque illud eſſet, quod ſe exprimere poſſe deſperaret. Ita etiam ego nunc faciam,

atque rem, quae nullis coloribus pingi, nulla oratione commemorari poteſt, ſilentio meo laudabo. Quoniam etiam natura, ſi formae pulchritudinem donat, inchoare tantummodo videtur magnum opus, et eximii aedificii fundamenta iacere, virtus adſit oportet et ingenium, quod animet illud, quod ei ſpiritum et ſplendorem addat. Iude etiam hanc maieſtatem corporis, quam ſolam in aliis principibus admiramur, laudamus et celebramus, non magni Amalia noſtra facit. Magni enim hoc eſt animi, nobilis, ſibique maiorum virtutum conſcii proprium, non contemnere quidem, quae liberali manu in ſe contulerit natura, dona, ſed meminiſſe tamen ſemper, alia eſſe, quae admirationem et cultum hominum atque omnium ſeculorum praedicationem concilient. Laudemus igitur generis ſplendorem, laudemus formae pulchritudinem in iis, qui nobis nullam aliam rem laudandam praebeant, in quibus celebrandis omnia nobis anxie et curioſe conquirenda ſunt. In Amalia, quae nos copia laudum obruit, attingamus talia, et quaſi praetereuntes adſpiciamus. Nam quem fauorem naturae Amalia in formando corpore habuit, eundem etiam in tribuendis ingenii dotibus experta eſt. Non elegantem magis formam, quam venuſtiſſimum ingenium admiramur, quod, non dico principum, ſed vulgarem etiam hominum conditionem ſuperat. Illa accurata in cogitando celeritas, illa elegans in iudicando ſubtilitas, illud acumen ingenii, illa in dicendo ſuauitas animum noſtrum primum in admirationem, mox in ſtuporem adducit. Rariſſime profecto accidit, vt natura, quae parca ſaepius, quam larga, opum ſuarum diſpenſatrix eſt, tota ſe effundat, atque ad vnum mortalem ornandum omnia conferat. Ideo alios diuitiis quidem abundare, ſed nulla generis nobilitate conſpi-

conſpicuos eſſe videmus: alii, et claris maioribus orti et opibus inſtructi, omni tamen formae pulchritudine deſtituti ſunt: aliis denique frontis et oris honorem decusque afflauit, ſed quoties eosdem ea parte, qua maxime homines ſumus, qua ad diuinam naturam accedimus, parum intelligimus valere? Atque etiam in ipſo tribuendo formandoque ingenio quam parcam, moroſam et difficilem ſe natura praebet! Huic ſubtilitas, illi venuſtas, aliis celeritas, aliis tarditas, illis ſuauitas in loquendo, his iniucundum et difficile dicendi genus conceditur. Qua igitur admiratione Amaliam proſequamur, in qua omnes eas virtutes coniunctas eſſe videmus, quas ſingulas in aliis miramur? Celeriter cogitare, acute et ſubtiliter iudicare, accurate quamque rem intelligere, ſumma cum iucunditate cogitata eloqui: omnia haec propria ſunt Amaliae. Vos ego teſtes appello, qui illam aut vernaculo aut Gallico ſermone loquentem audiuiſtis. Nonne vobis Deam aliquam audire videbamini? Tanta eſt verborum elegantia, tantus nitor orationis, tanta ſuauitas oris et vocis. Ipſi Galli mirabundi Amaliam ſua lingua loqui audiunt, atque ipſo, quo perfunduntur, rubore, elegantiam orationis fatentur. Et quid de venuſtate dicam, qua Princeps noſtra de omnibus artibus iudicat? Quis artificum eſt, cui non dicat, quid pulchrum et venuſtum ſit? quam eleganter de muſicis, de tabulis pictis, de ſtatuis, de aliis dignitate principali dignis ornamentis iudicat? Hic pulchri et venuſti ſenſus inprimis ex aedibus, ex hortis atque praecipue ex amoeniſſimo illo Amaliae receſſu, *Belvedere*, elucet. Nemo veſtrum erit, AA. qui ignoret pulcherrimum locum, exteris quoque celebratum, et in quo natura et ars certaſſe videntur, quae praeſtantiſſimum opus poſſet efficere. Illa qui-

dem amoenissimum illum sensimque surgentem collem, vnde visus occurrentibus syluis modo coarctatur, modo latissimis pratis diffunditur: illa serenum et benignum caelum, fontium gelidas perennitates, omniaque, quae oculum pascerent, creauit. Haec omnia expromsit, quibus naturae, aduersariae suae, victoriam dubiam redderet. Quae descriptio et pulchritudo aedificiorum! quae nitentes marmore columnae! quae pictura parietum! qui porticus! qui ordines arborum! quam iucundum prosilientium e marmoreis labris murmur fontium! Ipsi profecto parietes, xysti, et horti, splendidiores multo venustioresque redditi, elegantissimum Amaliae ingenium spirare videntur. Huc accedit singularis historiae scientia atque perfecta rerum in orbe gestarum, omniumque Europae aularum cognitio. Haec vero studia, quibus doctrina ciuilis et bene regnandi scientia comparatur, maximi in principe aestimari debere, quis nescit? Haec enim animum erudiunt, prudentiam alunt, mentem exemplis et praeceptis instruunt: haec docent, quibus artibus regna ad summum fastigium euecta, quibusue vitiis alia euersa sint et deleta: haec omnium seculorum res maxime dispersas et distractas complectuntur, et exempla in illustri monimento posita exhibent, vnde, quid foedum inceptu, quid foedum exitu, cognoscamus. Hac igitur doctrina instructa Amalia illam praesentium intelligentiam, illam prouidentiam futurorum hausit. Deplorare profecto hoc loco lubet vestram sortem, o! miseri principes, qui alienis auribus audiatis, aliena lingua loquamini, alieno ingenio cogitetis. Adspicite Amaliam: considerate prudentiam sapientiamque: audite suauitatem orationis, atque hinc discite, non dignitate tantum et potestate, sed ingenio quoque et pru-

dentia

dentia ſuperiores ciuibus ſuis eſſe debere principes. Etſi vero hae ingenii virtutes omni laude et admiratione digniſſimae ſint: ſunt tamen aliae huius ingenii dotes, quae neſcio quomodo magis animum alliciant, omnium amorem Amaliae concilient, illamque non venerabilem magis, quam amabilem reddant.

Facile intelligetis, AA. me de clementia Principis noſtrae dicere. Etſi enim illa nihil, niſi quod magnum, quod nobile, quod dignum tanta Principe ſit, cogitat: tanta tamen ſuauitate, tanta humanitate, tanta clementia illam grauitatem condire, illam magnitudinem lenire didicit, vt ipſi neſciamus, vtrum venerari, an amare magis illam debeamus. Tanta comitate maieſtatem temperauit, vt ſuauis ex vtraque concentus exiſteret. Traxiſſe videtur etiam hoc Amalia noſtra e caelo, vnde originem ducit, cuius ſigna maximam in omnes orbis partes vtilitatem diffundunt. Cogitate eam comitatem, qua ſummos et infimos excipit, qua cum ciuibus loquitur, qua ſibi omnes ordines deuinxit. Non ignorat quidem, in quo ſe faſtigio rerum humanarum ſummus moderator collocauerit, neque tamen ſe hominem eſſe obliuiſcitur, cuius ſumma virtus eſt humanitas. Nihil prius ſanctiusque ciuium ſalute habet, nihil magis optat, quam vt omnes feliciſſimos poſſit reddere. Huc praeclarae illius cogitationes tendunt, de hoc dies noctesque cogitat. Inde cuiuis ciuium Amaliam ſuam non procul admirari, ſed coram etiam venerari licet: inde omnium preces audit, omnes admittit. Veſtram fidem appello, diuinae humanaeque ſapientiae in hac academia Doctores, vos teſtes facio, quos non ſemel Amalia alloquio ſuo dignata eſt. Vos commemorabitis, qua humanitate vos exceperit, qua benignitate

audiuerit, qua comitate refponderit, qua clementia defideriis veftris fatisfecerit. Quae tum in ore et vultu ferenitas! quae in oratione ac geftu humanitas! Cuiuis ciuium eadem libertate, eadem fiducia, qua filiis parentum, Principis noftrae auxilium et opem implorare licet. Sic enim fibi perfuafit: non debere quemquam triftem a principe dimitti, et quo plura aliquo die maioraque beneficia tribuit, eo feliciorem hunc exiftimat. Haec, haec eft illa virtus, qua Amalia ad fimilitudinem deorum accedit, qui, licet potentiffimi, fimul tamen benigniffimi funt. Vtantur alii principes poteftate fua ad opprimendas respublicas: Amalia ad recreandos miferos et fuftentandos pauperes vtitur. Proferant longe lateque multo ciuium fanguine profufo imperii fines: Amalia fuos placido imperio fortunat. Mifceant facra et profana atque bacchentur in publicis ruinis: Amalia fuorum falute nihil iucundius habet. Tempora cingant cruenta lauro, agant triumphos, trophaea fibi conftituant: Amalia in animis omnium praeclariffimum trophaeum conftituit.

Verum AA. adfit principi imperium, floreat ille maiorum fama, ingenio valeat; benignus etiam fit et comis: non perficient, non abfoluent haec principem. Viderunt antiqua tempora humanam quidem, fed fallacem Cleopatram. Prudens fuit Semiramis et improba. Ex quo vero Amalia imperium fufcepit, illam fummam pietatem, iuftitiam, prudentiam, et perpetuam pro falute ciuium curam coniunxiffe noftis.

Adductus enim meritiffima et fumma fama huius omni laude omnique virtutis genere ornatiffimae Principis, nullam digniorem iudicauit Diuus Princeps ac Dominus, Erneftus Auguftus Conftantinus, quam in matrimo-

matrimonium duceret. Priuauit igitur Brunſuicenſes terras praecipuo ornamento atque Vinarienſibus nouum quaſi ſolem intulit. Aduentu Amaliae omnia bonis ominibus et acclamationibus perſonare: omnes ſublatis in caelum manibus Deo gratias agere, plaudere, omnibusque modis infinitam laetitiam teſtificari. Quid vero auſpicatius, quid amabilius hoc coniugio cogitari poteſt? Tanta fuit voluntatis amica conſpiratio, tam arcta animarum copulatio, tam iucunda concordia, tam mutuus amor, tanta virtutum aequalitas! Atque iam tum Amalia ſe nulla alia de cauſſa Vinariam perueniſſe iudicauit, quam vt de quam plurimis bene mereretur, vt ſereniſſimi mariti onus leuaret, vt ſimul cum ipſo ſalutem ciuium curaret. Verum non multo poſt triſti exemplo comprobari vidimus, quod iam toties comprobatum eſt: nihil eſſe in rebus humanis perpetuum, nihil diuturnum, nihil ſtabile.

Recrudeſcit, recrudeſcit vulnus, quod amantiſſimi principis praematura morte omnium bonorum animis inflictum eſt: commoueri vos ſentio memoria optimi Patris patriae, magnoque et acerbo dolore affici. Ille veſter Erneſtus Auguſtus Conſtantinus, cuius ex ipſius oculis generoſus animus elucebat, quem omnes ciues certatim amabant, omnibusque horis oculis, auribus, complexu tenebant, cui vitam quisque ſuis annis, diſcerpta aliqua parte ex conſtituto ſibi viuendi tempore, prorogare cupiebat, ille igitur Auguſtus Conſtantinus in ipſo flore aetatis exſtinctus eſt. Quid ego nunc lacrimas numerem, quibus omnium oculi madebant? quid querelas repetam, quae vndique exaudiebantur? quid gemitus, quid planctus commemorem, quibus omnia plena erant?

Quemadmodum olim Romae, morte Titi, qui humani generis delicium appellabatur, nuntiata, tanta perturbatio excitata eſt, tantus terror omnium animos occupauit, vt Senatus nocte etiam ſe in curiam conferret, maximasque mortuo laudes et gratias diceret: ita etiam Conſtantini morte omnes proſtrati et perculſi ſunt. Lugebat religio ſuum defenſorem, iuſtitia vindicem, veritas amatorem: plangebant ciues patrem ſuum, pauperes certiſſimum auxilium, afflicti dulce ſolatium: dolebant Muſae decus ſuum et praeſidium: dolebat haec Academia magnificentiſſimum Rectorem et nutritorem. Ipſi exteri non ſine lacrimis audiebant, exſtinctum eſſe illum oculorum ignem, deletum illum animi vigorem, excelſum et magnum animum terram deſeruiſſe: omnes vero ita iudicabant: oſtendere hunc tantum terris Deum voluiſſe, atque ad aliquod tempus perfectum boni principis et abſolutum exemplum inter homines verſatum eſſe. In hoc vero omnium luctu nihil fuit, quod perculſos et triſtes ciuium animos erigeret, quam iucundiſſimus Amaliae adſpectus, quo ſe vehementer recreabant, et e quo ſpem capiebant certiſſimam. Amalia ſe conſolabantur ciues, afflicti, pauperes: Amaliae vultu ſe oblectabat iuſtitia, iuſtitiaeque ſoror, veritas: in Amaliae adſpectu luctuoſiſſimum dolorem deponebant Muſae. Immo tota Vinaria ſaepe eiusmodi vocem et orationem emittere videbatur: Quo luctu Auguſti Conſtantini mors me affecerit, vides, Princeps Sereniſſima: vides dolorem meum, vides lacrimas, quas gratus et pius animus illi conſecrat. Frangerer profecto, conciderem et deſperarem, niſi adſpectus tuus me conſolaretur. Teneram video aetatem Optimi Principis Iuuentutis, Caroli Auguſti, qui ob annorum imbecillitatem ne-

que

que mihi consulere potest, neque sibi. Ad te igitur confugio: tibi me trado, dico, addico. Memini, memini, quo adhuc in me animo fueris: recordor amorem, quo me complexa es: noui maternum animum, cuius neque pauca, neque dubia documenta edidisti: te igitur oro, te supplex precor, vt primum mei Caroli Augusti curam suscipias, deinde me ipsam eo amore, quo coepisti, prosequi pergas. A nemine aut rectius Carolum meum institui posse arbitror, quam a te, quae et natura et animo illi mater es, aut me sapientius et felicius curari, mihi persuasi. Tibi obtemperabo, tibi summum obsequium praestabo, tua iussa maxima semper cum voluptate exsequar. En dextra fidesque! Haec et eiusmodi plura verba videbatur quotidie Vinaria dicere, ad quae quid Amaliam fecisse vidimus? Lugebat illa quidem Constantinum suum: dolebat iucundissimum maritum, sed nunquam obliuiscebatur, quid sibi, quid Carolo, quid ciuibus deberet. Cleopatram legimus se Marco Antonio viuenti et mortuo comitem addidisse. Artemisa, Mausoli, Cariae regis, vxor, mortui ossa bibisse fertur. O humiles et abiectos animos! o imbecillitatem hominum! Vtinam vobis per rerum naturam ad viuos redire atque Amaliam videre licuisset, quanta constantia, quanta animi fortitudine Constantini mortem tulerit! Recordatur illa quidem Constantinum, sed recordatur ita, vt simul virtutes illius sibi ante oculos ponat: retinet amantissimi mariti memoriam, sed ita retinet, vt simul, quantum ille ciues suos amauerit, cogitet: sentit et intelligit, quantum amiserit Vinaria, quam fidum patrem, quam bonum principem, sed ita sentit, vt simul se haeredem non tantum tot praestantissimarum virtutum, sed ipsius paterni amoris esse, sibi

persua-

persuadeat. Quibus igitur verbis de imperio Amaliae dicam? Hebetari sentio animi mei aciem, tot diuinarum virtutum adspectu, quasi splendidissimo lumine. Sed quemadmodum de amplitudine et splendore solis ex illius radiis iudicare licet, etsi ipsum solem intueri nequeamus rectis oculis: ita ego quoque, quamuis ad ipsarum virtutum splendorem animi oculos intendere non possim, me tamen, quantae illae sint, ex optimis praeclarissimisque actionibus demonstraturum esse spero. Testantur enim afflicti aequitatem et iustitiam: loquuntur pauperes liberalitatem: praedicant summi et infimi benignitatem: Musae benignissimam nutricem in caelum laudibus extollunt: pietatem ipsa templa testantur, testatur ipsa religio.

Primum igitur pietas, regina atque parens omnium virtutum ab ineunte aetate ab Amalia adamata fuit et culta. Persuasit sibi verissime, tum demum ciues bene regi, tum terram felicem esse, si principes pietatis studio ducantur. In hac videt sitam esse omnem publicae felicitatis spem: hac spreta, maxima imperia corruisse, hac culta, et domi et foris prosperrime res gestas esse intelligit. Nonne, secum inquit, ego Dei benignitati omnia debeo? nonne mihi haec omnia concessit? Ille Constantinum mihi dederat: ille Vinariam et Isenacum mihi donauit: ille me tot hominum principem et dominam esse voluit. Iam me Deus illius terrae principem constituit, in qua sapientissimis optimorum Principum institutis maxime religionis cultus viguit er floruit. Me igitur, aequum est, vestigia tot piorum principum persequi: meum est, prouidere, ne labatur sensim aut corrumpatur sacra disciplina: meum est, prospicere, ne quid detrimenti respublica, neglecto Dei cultu, capiat. Haec igitur

igitur ſaepius Amalia ſecum dicere videtur. Hinc etiam, quidquid agit, quidquid ſuſcipit, quidquid cogitat, ad pietatis normam exigit: hinc vt religionis cultus quam maxime purus ſit et in terris ſuis floreat, omnem curam adhibet. Et quid dicam de pietatis ardore, quo plena templa Dei inuiſit, quo publicis ſacris intereſt? quid de veneratione, qua ſe diuinas res proſequi palam oſtendit? quid de honoribus, quos piis et doctis ſacerdotibus habet? quid de ſumtibus, quos ad hos alendos atque ad templa ſuſtentanda praebet? quid de ſeueris legibus, quibus diſciplinam ſacram emendat et regit? O felices ciues, quibus Domina et exemplum et norma pietatis eſt! o beatam Vinariam, quae Amaliae precibus adiuuaris, et piis inſtitutis fortunata et felix ſeruaris! Verum etſi ſatis hic pietatis ſenſus in oculos incurrat: maxima tamen pars animo et pectore flagrat, a nemine, niſi a Deo, aeſtimanda et cognoſcenda.

Pietati adiunxit iuſtitiam, quae niſi a principibus colitur, omnia corrumpuntur, mores deprauantur, ciues per fas nefasque ruunt, ipſa reſpublica euertitur. Eſt quidem in Amalia tanta comitas, vt maior eſſe nequeat, ſed ita eam temperare didicit, vt iuſtitiae nihil detraheretur. Quam ſapientibus legibus fori diſciplina ordinata, quanta prudentia iudiciorum ratio definita eſt! quanta aequitate ius dicitur! quanta ſeueritate licentia conſtringitur et punitur! quanta alacritate innocentes et integri iuuantur! Conſtituit Amalia prudentiſſimos viros, quorum fides ſaepius ſpectata et cognita eſt, qui non ſolum incorrupte ius dicant, ſed bene quoque et ſtrenue exſequantur, qui luxum, certiſſimum rerumpublicarum malum, comprimant, innocentiam recreent, audaciam puniant, ſcelus

lus expellant. Neque tamen ille rigor eſt iuſtitiae, quem in multis antiquorum temporum legum ſcriptoribus exhorreſcimus, ſed Amalia ius, non ſicut princeps, ſed ſicut mater, adminiſtrat. Ipſae poenae ciuibus iucundae ſunt, quas ſibi multo plus emolumenti afferre vident, quam indulgentiam quamuis. Nihil enim ſibi magis perſuaſum habent, quam hoc: optime Amaliam ſuorum ſaluti conſulere. Hoc etiam inde perſpiciunt, quoniam Principem ſuam viros vſu rerum, fide et integritate praeſtantiſſimos in conſilium adhibere conſpiciunt. Malis conſiliariis ſaepe atrociſſima bella excitata, multa millia hominum caeſa, ciues ad incitas redactos, florentiſſimas respublicas corruiſſe legimus. Quare non ſatis laudari poteſt Amaliae patriae amor et ſapientia in deligendis fidiſſimis prudentiſſimisque amicis. Qui dum ſe ad Principis imitationem componere ſtudent, quid mirum, ſi leges valent, ſi mercatura viget, ſi affluentia rerum regnat, ſi ſuum religioni decus eſt? Deinde quoque grati praedicant ciues prudentiam Amaliae in temperandis ſumtibus. Si in antiquorum temporum memoriam redimus, atque etiam, quae nuper acciderunt, non plane ignoramus, multos inuenimus reges et principes non tam, quos ferre poſſent ciues ſumtus, ſed potius, quomodo ſuae ſiue ambitioni, ſiue voluptati ſatisfacerent, cogitaſſe. Inde aeraria exhauſta, opes ciuium attenuatae, diuitiae conſumtae, opulentia rerum e medio fuit ſublata. Iam vero Amaliae magnificentiam ante oculos vobis ponite. Magnus eſt aulae ſplendor, magna aedificiorum ſpecies, magnus in omnibus rebus ornatus. Prodeat vero, prodeat ille, quisquis ſit, Amaliae ciuium, qui ſe ad hunc ſplendorem ſuſtinendum nimiis oneribus premi, qui ſe exhauriri, qui ſibi ſua vel vi vel preca-

rio erepta esse, iure dicere possit. Tanta est illius prudentia, tam sapiens parsimonia! Quascunque ciuium opes non magis suas, quam ciuium esse arbitratur: si ciuium bona consumat, se sua consumere: si his parcat, se sibi parcere: si illa augeat, se ipsam ditiorem fieri credit: dispensatricem se plurimorum bonorum, benignamque ciuium nutricem esse debere, non eam, quae ipsa pecunias profundat, et rempublicam perdat. Videte, Auditores, amorem patriae, amorem ciuium!

Atque haec quidem etsi summa sint atque praeclara laude dignissima habenda, nescio tamen an maior sit cura, quam Amalia dies noctesque pro ciuium salute gerit. Amauit, amatque illa suos, vt liberos, vt oculos, vt viscera sua, eorumque flore nihil habet prius, nihil antiquius. Quocunque oculos conuertimus, ibi testes prudentiae, ibi documenta amoris Dominae videmus. Conspicitis mercaturam vigere? se Amaliae cura vigere fatetur. Conspicitis opulentiam ciuium? se haec Amaliae auspiciis collegisse praedicant. Conspicitis innocentes tutos et securos? hanc securitatem se Amaliae debere agnoscunt. Conspicitis pauperes sustentatos? haec alimenta se ex Amaliae benignissima manu cepisse lacrimantes prae gaudio commemorant. Quid denique de sapientissimis curis dicam, quibus in hac omnium rerum perturbatione terras suas complexa est? Diuinam profecto et singularem prudentiam ostendit. Saeuiat bellum; commineturque illius tempestas tristissima fata: Amalia gubernacula imperii tenet, atque, illa gubernante, nulla reipublicae nauim tempestas subuertet.

Sed haec mihi pluraque alia dicere cupienti manum iniicit ipsa haec Academia, me voce increpat, atque

atque, quae in ſe contulerit beneficia Amalia, commemorare iubet. Meminiſſe ſe dicit, quantum illi debeat: recordari ſe ait amorem ſingularem, quo has Muſas ſemper proſecuta ſit: ante oculos ſibi verſari praedicat illas curas, quas pro ſua tranquillitate et ſecuritate geſſerit. Tota profecto Academia, vna ſi voce vti poſſet, ita hodie loqueretur. Beatam me atque felicem, quae Amaliae auſpiciis floream! Adflixit plurimas Germaniae Academias atrociſſimus belli furor: quasdam eheu! diſſipauit: viris doctis ſtudia ex manibus excuſſit. Ego quiete fruor et ſecuritate: mei filii tuti litterarum ſtudiis operam dant. Cui autem hanc quietem debeo? Amaliae meae. Haec enim nihil omiſit, quo mihi hanc ſecuritatem pararet: haec omnia fecit, quibus me tutam praeſtaret. Haec etiam doctores meos maxima ſemper humanitate excepit, multisque honoribus ornauit. Haec, quod ad famam meam ſeruandam augendamque pertineret, omiſit nihil. Quid benignae huic meae nutrici reddam? quomodo gratam me oſtendam? Preces fundam, Deumque immortalem orabo, vt ſoſpitet, ſeruet, omnique felicitatis genere cumulet Amaliam.

Audiamus hanc vocem, AA. atque piae adhortationi obtemperemus. Quantis virtutibus Sereniſſima Princeps abundet, quantam ciuium curam gerat, quam perfectum et amabile bonae Principis exemplum ſit, noſtis. Celebremus igitur hunc diem, qni tantum bonum terris conceſſit. O dies XXIV. Octobris! o pulcherrime dies! tu Amaliam in lucem edidiſti: tu Vinariae tantam laetandi materiam praebuiſti: tu ciuibus tantam felicitatem attuliſti. O dies, qui nobis gaudia, plauſus, lacrimas, et ardentiſſimas preces exprimis! Agamus igitur, AA. agamus illi, qui tanti

boni

boni auctor est, gratias, vtque haec gaudia perpetua his terris sint, precemur.

O Deus immortalis, cuius summum numen initio orationis imploraui, nunc etiam fine illius precor. Te tota Vinaria, tota Isenacensis terra precibus adorat: Tibi religio, iustitia et aequitas supplices manus tendunt: Tuum numen tot miseri, inopes et afflicti implorant: Te tota haec Academia obtestatur: serua nobis huius diei laetitiam atque felicitatem. Tuere Principem nostram, tuere communem omnium matrem, Amaliam: fortuna et sospita Dominam. Adsis tuo numine consiliis illius, eorumque euentus prosperrimos semper esse iube. Tuo auxilio felicitas ciuium seruetur, seruata stabiliatur, stabilita augeatur. Protege etiam serenissimos Principes iuuentutis, teneramque illorum aetatem custodi. Protege Carolum Augustum, atque in eo omnes virtutes Augusti Constantini, qui nunc tecum est, atque ipse laetitia nostra exhilaratur, nobis redde. O tota Domus Saxonica, tu tot heroum, tot generosissimorum Pricipum mater, floreas semper, vigeas, et nunquam non inconcussae fortunae et perpetuae felicitatis sis exemplum; omni vero posteritati augustum semper laetitiae et admirationis sis argumentum!

IV.

Oratio

Ienae d. 11. Sept. a. C. 1762. recitata.

Quanquam ego semper maxima cum alacritate atque laetitia hunc locum escendi, quoties in doctorum hominum concione siue publicae laetitiae in-

 ter-

terpres fui, siue de litterulis nostris disserui: hodie tamen me non solum cum languore quodam, sed etiam dolore animi non exiguo ad dicendum accedere sentio, atque etiam Vos ex ore ac vultu meo facile intelligetis. Nam quantum voluptatis e frequenti Vestro conspectu, mihi multo iucundissimo, capio, quantum gaudeo, me eum esse voluisse Sodales meos, qui pulcherrimum illum diem, quo haec Societas condita fuit et instituta, oratione renouarem et votis precibusque celebrarem: tantum etiam commoueor animo et doleo, si me hodie vltimum Ienae verba facere cogito, nec vnquam facturum posthac esse. Ego igitur nunquam has aedes repetam, vbi et doctos viros, saepe non sine fructu, semper cum magna delectatione, audiui, et veteris doctrinae atque elegantiae studiosis iuuenibus mei copiam feci? ego nunquam illum meum in istis subselliis locum occupabo? quae me coniunxerunt Vobiscum, optimi Sodales, vincula non dissoluentur, sed rumpentur? tanta me inter atque Te, o iucundissima mihi semper Societas, locorum interualla erunt interiecta? Quae quidem omnia si mecum cogito, non mediocriter animo perturbor, atque, quem citius opinione aduenisse non sine tacito religionis sensu et venerabunda diuinae prouidentiae admiratione, video, ex hac Academia discessum meum tristiorem mihi esse intelligo, quam ipse antea putabam. Quis igitur Vestrum est, qui, si me non dignum satis huius diei celebritate oratorem esse animaduertat, miretur? quis non potius, si orationem non cum lenitate aequabiliter profluentem, non dulcem concinnitate, non sententiarum verborumque floribus consperfam, audiat, animum et pietatem dicentis spectet, doctrinam et elegantiam non requirat? Atque cum mihi hodie duo

pro-

propoſita ſint, vt et bene de me meritis gratias agam meique memoriam amicis commendem, et de re, quae cum Societatis Latinae inſtitutis coniuncta ſit, verba faciam: quomodo melius aut me gratum erga hanc Academiam oſtendam, aut Sodalium meorum voluntati ſatisfaciam, quam ſi hac mea oratione praeſtantiſſimos, quos huc non ſine voluptate video conueniſſe, iuuenes ad noſtrarum litterarum ſtudium adhorter? Egi idem ex hoc loco ſuperiori anno, atque de dignitate, iucunditate, & vtilitate humanitatis litterarum quaedam dixi, quae viris eruditis non diſplicuiſſe cognoui. Verum cum maxima ſit vis et auctoritas exemplorum, quibus excitamur, accendimur, abripimur, quibusque interdum plus efficitur, quam ſubtiliſſimorum argumentorum multitudine: geſtit animus, ex illis, qui hanc litterariam vniuerſitatem ornauerunt, eos eligere, qui Graecarum et Latinarum litterarum ſcientia inſtructi, hac doctrina magnam Academiae gloriam, iuuentuti ſummam vtilitatem, ſibi aeternam laudem pepererunt, eorumque exempla in illuſtri loco poſita paucis commemorare. Vobis quidem, diuinae humanaeque ſapientiae conſultiſſimi in hac Academia Doctores, iucundum erit, redire in antiquorum temporum memoriam, recognoſcere maiorum Veſtrorum ornamenta, et laudes illorum audire. Vos vero, optimi Commilitones, intelligetis, ſemper hanc Academiam peritiſſimis noſtrarum litterarum viris floruiſſe, quorum veſtigiis quis inſiſtere dubitet? atque etiam illud animaduertetis, eosdem claros et doctos viros maximam partem eruditionis et famae ſuae debere diligenti, quod in illis poſuerunt, ſtudio, neque eos, ſi aut neglexiſſent illas, aut leuiter tantummodo attigiſſent, tales futuros fuiſſe, quales et ex libris cognoſcuntur et con-

ſtanti tot annorum fama feruntur. Neque enim exiſtimare debetis, paucos tantum, aut eos ſolos, qui ſe illarum magiſtros profeſſi, et ad eas docendas publico ſtipendio conducti eſſent, in Graecis Latinisque litteris laudabilem operam conſumſiſſe. Illam tum opinionem viros optimos imbibiſſe animo apparebit, nullam eruditionis ingenui et liberalis hominis ſtudio dignae partem, his, ſiue ornamentis, ſiue adiumentis, carere poſſe, atque maiora ex antiquis ſcriptoribus diſci, quam, quod vulgo putant, verba, dicendi formulas, et antiquorum rituum cognitionem.

Atque primum Vos, qui ad ſanctiſſimae noſtrae religionis doctrinam diſcendam et olim docendam animum applicuiſtis, habetis in hac Academia ſub ipſa illius initia, quos intueamini, de quibus cogitetis, quorum ad imitationem Vos conferatis. Infixae tum mentibus haerebant prudentiſſimae voces et optima conſilia magni Lutheri, qui non ſolum litterarum luce tenebras barbariei et ſuperſtitionis depelli intellexit, ſed etiam nunquam non ſuos vehementer adhortatus eſt, vt haec arma, quibus optime aduerſarios vincere poſſent, tractare diſcerent, vt vanae ſubtilitati et canoris nugis interpretationem librorum ſacrorum recte inſtitutam, id eſt, Grammaticam, anteponerent, qui licet minime in his litteris tyro ac rudis, aut peregrinus et hoſpes eſſet, tamen non ſemel doluit, per eorum temporum ſtultitiam ſibi non eos, quos vellet, progreſſus facere licuiſſe (*). Tam neceſſa-

(*) E multis vnum eundemque inſignem locum afferam, nec ſine cauſa. Alioquin in notis conſtipatam lectionis copiam non amo, atque huius eruditionis gloriam odi. Sic igitur Lutherus *T. II. Altenb.* 812. *Wie leid iſt mirs ietzt, daß ich nicht mehr Poëten*

necessarium esse putauit bono librorum sacrorum interpreti litterarum studium. Adeo intellexerat, antiquarum artium renouationem ita adiuuisse sacrorum instaurationem, vt, nisi illa facta esset, neque haec potuisset locum habere. Praeterea habuerunt eo tempore iuuenes, quem adirent, vbi sitim restinguerent, vbi accuratae doctrinae copias colligerent. Quantum enim Lutherus in repurganda a superstitionis sordibus religionis doctrina, asserendaque animorum libertate, tantum communis ille Germaniae praeceptor, Philippus Melanchthon in dignitate pristina litteris reddenda, et liberali doctrina instauranda, laborauit. Huius vero ex schola quis ignorat praestantissimos prodiisse viros, qui omnibus ingenuis artibus exculti ad docendas litteras accederent? quis nescit, bellissime conspirasse diuinas humanasque litteras, mutuoque se adiuuisse? nihil vero infelicius fuisse visum magistellis, qui, nullis antiquis scriptoribus lectis, nulla oratorum et poetarum lectione imbuti, in arte Critica misere coecutientes, tamen hermeneutici esse vellent, quale nomen etiam nunc quosdam sibi arrogare notum est, qui metaphysica sua eruditione, quasi Achillis clypeo, armati in cathedris regnant et bona iuuentutis credulitate praue abutuntur. Illa vero cum ita essent, quid mirum, fuisse iis temporibus in hac Academia Theologos, quos graui et augusto hoc nomine dignos fuisse, illorum scripta testantur? Nonne Victorinus Strigelius, Simon Musaeus, Io. Wigandus, Nicol. Selneccerus, Dav. Voitus, in Vitembergensi Academia atque in schola Melanchthonis doctrinae

 tyrocinium

ten vnd Historien gelesen habe, vnd mich auch diese niemand gelehret hat. Habe dafür müssen lesen des Teufels Dreck, *die Philosophos vnd Sophisten mit großer Kost vnd Schaden, daß ich gnug dran habe auszufegen.*

tyrocinium posuerunt, illius consilio steterunt, illius disciplina ingenium finxerunt, comparaueruntque illa, quibus altius eniterentur, sibi praesidia? Quid dicam de Iusto Iona, in quo tanta fuit rerum diuinarum scientia, quanta in praestantem Theologum cadere potest? Et eundem magnum Theologum ille Ouidianae suauitatis poeta, Eobanus Hessus, vatem bonum, sophum disertum, lingua nobilem, ore fulminatorem appellat. Quid de Matthia Flacio, qui incensus doctrinae liberalis studio ex vltimis Illyriae partibus Venetias commigrauit, vbi eruditissimo viro Ioanni Baptistae Egnatio operam dedit? Docuit vero hic Egnatius magna laude eo tempore humanitatis litteras, et complures docti viri e regionibus longissime dissitis confluxerunt, vt illo magistro vterentur. Quid igitur mirum, Flacium nostrum, postea etiam a Melanchthone eruditum, eas collegisse eruditionis copias, quas in aeternis scriptis explicuit? Nihil dicam de testium veritatis, quam contexuit, historia, multi laboris opere, nec minoris vtilitatis. Qua vero Clauis scripturae diligentia composita, qua varietate eruditionis distincta est? quam vtilis sacrorum librorum interpreti? Huic adiungimus Gerhardos illos, Ioannem et Ioannem Ernestum, viros copiosiori eruditione ornatos, quam nostrae aetatis hominum ignauia cum cogitatione, tum imitatione, assequi potest, viros de nostra religione optime meritos, quorumque gloriam quae vnquam tam immemor posteritas, quae tam ingratae litterae reperientur, quae non immortalitatis memoria prosequantur? Paucis tantummodo iuuat attingere ingenium Ioannis Maioris, cuius exstant probabilia carmina, atque Christiani Chemnitii, qui et scholae hac in vrbe praefuit, et de ratione Latinarum epistolarum scribendarum praecepta reliquit.

Properat

Properat animus et geſtit admirari illam ampliſſimam vberrimamque omnium laudandarum artium ſegetem, qnae in Salomone Glaſſio effloruit. Ecquis enim, non eorum tantum, qui ſacrarum litterarum doctrinam profiteantur, ſed omnium, qui ſacros libros legere recte et intelligere cupiant, quis igitur eruditiſſimum librum, quem de Philologia ſacra ſcripſit, ignorat? Hoc opus, quemadmodum Phidiae ſignum, ſimul aſpectum et probatum eſt: hoc magiſtro, quicunque in diuinis libris interpretandis et vero verborum ſententiarumque ſenſu indagando rite verſari velint, non carere poſſe, ſemper doctiſſimi viri iudicauerunt: hoc libro vix melius quidquam in hoc genere ſcriptum eſſe equidem exiſtimo; nam et ſubtilitatem aliorum, etſi oſtentatione acuminis fallere et ingenii opinione blandiri velit, et aliorum ignorantiam, quae ſe inepte ſomniantis pietatis ſpecie tueri cupit, parum ſemper curaui curaboque. Verum nihil attinet plura de praeſtantia huius libri dicere, cuius vtilitas vel ex eo intelligitur, quod quotidie complures e limpidiſſimo hoc fonte hortulos ſuos irrigare videmus, quorum alii aut omnino, cui ſua bona debeant, tacent, alii laudato Glaſſio vel ſic docti interpretes videri volunt. Earundem artium ſtudium fuit in Io. Dillherro, cuius ſcripta non vulgarem antiquitatis cognitionem teſtantur. Quid? quod idem non ſolum de ſatyra erudite in libello quodam expoſuit, ſed etiam Perſium et minores de corruptis ſeculi moribus ſatyricos edidit, atque hoc exemplo oſtendit ipſe Theologus, de quo omnes ſapientes, nullius morbi ſibi conſcii, neque ideo medicos, non aduocandos, metuentes, conſentiunt, bene de hominum genere mereri, qui ea, quae rigida legum vi durius coerceri nequeant, vitia blandiori medicina,

id eſt, leni et iucundo riſu, tollere ſtudeant. Atque his praeclariſſimis exemplis liceat vnum tantum addere. Nam de illis, qui nunc Academiam hanc ornant, nihil dicam, ne aut egregias illorum virtutes meae orationis teſtimonio egere exiſtimaſſe, aut aſſentationibus cuiusquam beneuolentiam colligere voluiſſe videar. Laudabit praeſtantiſſimos viros, laudabit eorum doctrinam aliquando poſteritas, quae eo aequius veriusque iudicat, quo minus aut ſpe ad laudandum, aut odio ad vituperandum adducitur. Ipſe hic locus, vbi nunc dico, in memoriam mihi reuocat immortale nomen Io. Franciſci Buddei, cuius diuinam vocem per multos annos quotidie fere innumerabilis iuuenum multitudo de hac cathedra audiuit. Quanta vero, per Deum! in illo viro Graecarum et Latinarum litterarum ſcientia! quanta omnis antiquitatis memoria! quae in dicendo ſcribendoque elegantia! qui nitor orationis, quae ornamenta! Proponite vobis, Commilitones, proponite vobis hoc illuſtre doctrinae exemplum, et, cuius ſcripta legitis et admiramini, eiusdem veſtigiis inſiſtite, eademque, qua ille, via ad veri Theologi nomen et gloriam contendite.

Pergamus nunc atque Themidis templum ingrediamur, ibique immortalis Iurisconſultorum imagines intueamur. Adſpicietis vero complures, qui contemtis riuulis ipſos fontes adierunt, pectus plurimarum rerum, atque inprimis hiſtoriae ſcientia impleuere, diligenter Graecos et Latinos ſcriptores legere, tum non in compendioli alicuius anguſtiis acquieſcere, aut obdormiſcere potius, ſed ipſa veneranda Iuris monimenta legere atque interpretari, veri ICti eſſe voce atque exemplo docuerunt. Cogitate Matthaeum Weſenbeccium, qui non ſolum Graecas

et

et Latinas litteras bene calluit, ſed etiam, vt Cato Graecam, ſenex Hebraicam linguam didicit, eosque Chriſtianae religionis doctores, quos Patres appellamus, diligenter legit. Cogitate Henr. Huſanum, qui auditis in Gallia Italiaque eruditiſſimis viris, eorundem exemplo incitatus, rigorem, ſi quis eſt, Iurisprudentiae Muſarum ſuauitate mitigauit, duoque libros Elegiarum edidit, et cuius tumulo praeter alia haec inſcripta ſunt: AB. INEVNTE. AETATE. IN. GERMANIA. ITALIA. GALLIA. BONIS. LITERIS. ET. LINGVIS. EXCVLTO. ET. MOX. SVPER. AETATEM. EGREGIO. ORATORI. POLITICO. ET. ICTO. Cogitate illum, quo iure Germania, quo Iena gloriari poteſt, Nicolaum Reuſnerum, quo nemo felicius arctiusque Iurisprudentiam et elegantiores litteras coniunxit. Illum adhuc puerum multis ſignis editis, qualis quantusque futurus eſſet, oſtendiſſe, vix vndecim annos natum verſus ſcripſiſſe, qui maturiorem quoque aetatem decerent, cum Lauingae, tum Auguſtae veteres ſcriptores complures per annos interpretatum fuiſſe, neque maiori boni poetae, quam docti ICti fama floruiſſe, quale hoc tandem quantumque eſt? Exſtant illius carmina, ſi numerum ſpectetis, plurima: ſi virtutem, elegantiſſima: exſtant orationes, grauiſſimis verbis ſententiisque plenae, et antiquorum oratorum lectionem omni ex parte redolentes. Verum non licet in vno Reuſnero diutius haerere atque morari. Quare ipſi velim tacite Vobiſcum recordemini praeclaram doctrinam, quam in Dominico Arumaeo, Ge. Adamo Struuio, Io. Strauchio, Nic. Chriſtoph. Lynkero, illo neſcio vtrum honorum ſplendore maximisque, quibus egregie functus eſt, muneribus, an ingenii praeſtantia et multitudine ſcriptorum magis conſpicuo,

 Petro

Petro Mullero, qui et Senecae librum de animi tranquillitate, et Io. Caſae, elegantiſſimi hominis, libellos quosdam ſuis animaduerſionibus illuſtrauit, quam, inquam, in his aliisque fuiſſe, erudita illorum ſcripta teſtantur. Vnum tantummodo addamus Io. Salom. Brunquellum, quem nobis tantum oſtendebant fata, qui ſi diutius vixiſſet, ad Cuiaciorum, Fabrorum, et Hottomannorum gloriam acceſſurus fuiſſet. Quanto ille ingenio de retractationibus veterum ICtorum, qua elegantia de ſectis et controuerſiis Gloſſatorum aliisque expoſuit? Quid dicam de hiſtoria Iuris ab eo compoſita, quae non magis ob induſtriam et eruditionem, quam ob nitorem ſermonis doctis viris probatur? Sed illum in ipſo aetatis flore dura fati inclementia extinxit, magnoque cum Georgiam Auguſtam, tum omnes, qui elegantiori Iuris ſcientia delectantur, dolore mors doctiſſimi viri affecit. Videtis hinc, Commilitones, multis hanc Academiam exemplis abundare, (atque ego pauca tantummodo elegi nomina, eaque attigi magis, quam commemoraui) quibus accendi debet legum cupida iuuentus ad nobilioris, multo ſplèndidoque ingenuarum artium comitatu ornatae, atque liberalis hominis ingenio dignae Iurisprudentiae ſtudium.

Quid de reliquarum artium doctoribus dicam? quid, vt e medicis quosdam producam, de Iano Cornario, in quo incredibilis fuit Graecarum litterarum peritia, cuique praeter Galeni, Artemidori, Dioſcoridis, aliorum, Hippocratis verſionem Latinam debemus, multa induſtria elaboratam? quid de Michaele Neandro, qui ſatis accurate de menſurarum et ponderum apud veteres populos ratione expoſuit? quid de Andrea Ellingero, qui de Hippocratis Aphoriſmis

non

non vno modo bene meritus eſt? quid de Io. Frid. Schroetero, qui cum artis medicae tum Iurisprudentiae doctor erudite Hippocratis librum de natura hominis interpretatus eſt?

Multa, Auditores, multa habeo, de quibus, ſi longior eſſe vellem, dicere poſſem. Multa de Io. Stigelio, qui in optimis Latinis poetis numeratur, quos produxit vnquam Germania, illa olim optimorum, nunc plurimorum poetarum genitrix, quorum copia laborat, inconditisque clamoribus enecatur: multa de Iohanne Langero, Fr. Widebramo, Hier. Oſio, Paulo Didymo, Wolfg. Heidero, Elia Reuſnero, Thoma Sagittario, quorum omnium exſtant Latina carmina, quae licet non ad Stigelianae Muſae elegantiam et ſuauitatem accedant, minime tamen contemnenda ſunt: multa de triumuiris eruditiſſimis, Iuſto Lipſio, Laurentio Rhodomanno, Io. Andrea Boſio. Certe in Rhodomanno (nam de Lipſio nihil dicam, ne, ſi, quantum ornauerit hanc Academiam, commemorare velim, ſimul de illius inconſtantia et leuitate dicendum, mihique adeo ipſi vis facienda ſit, qui viri docti ingenium vehementer amo) in Rhodomanno igitur nunquam ſatis mirari potui, quanta fuerit Graecarum litterarum ſcientia. Erudita profecto ſunt, antiquitatis colore imbuta, elegantiſſima, quae ſcripſit, Graeca carmina, quae, ſi auctoris nomen reticeas, complures a veterum poetarum aliquo ſcripta eſſe exiſtimauerint, praeſertim hac aetate, qua Graecarum litterarum ſtudium adeo negligitur, vt vix, (pudet dicere, ſed dicam tamen) vt vix in ſingulis Germaniae Academiis ſinguli nauiter illarum periti inueniantur. Sed neque temporis neque loci huius ſunt acerbiores querelae. Boſium igitur, illum

Nepotis

Nepotis ſoſpitatorem, et cum variarum rerum, tum artis Criticae, praeclara cognitione inſtructum fuiſſe; neque magis quidquam dolendum eſſe, quam quod morte praepeditus, quae inchoauerat, abſoluere non potuerit, ille tantum negabit, qui aut recte de litteris iudicare neſciat, aut illius ſcripta non legerit. Neque dedecori ſunt litteris noſtris nomina ſcriptaque Caſp. Sagittarii, Io. Andreae Schmidii, Burcardi Gotth. Struuii, atque inprimis Georgii Schubarti, viri in tantum laudandi, in quantum varia et accurata doctrina, antiquarum elegantiarum rectus ſenſus, et probabile dicendi genus intelligi poteſt.

Quis nunc Veſtrum, Auditores, non intelligit, nunquam defuiſſe in hac Academia eruditos viros, qui et ſummam vtilitatem, quae ex humanitatis ſtudiis in omnes eruditionis partes dimanat, cognoſcerent, et ad eorum cultum exemplo, ſcriptis, voce, iuuentutem cohortarentur. Vobis igitur, ne gloria a maioribus vobis tradita aut obſcuretur, aut minuatur, omni modo prouidendum, atque in eo diligentiſſime elaborandum eſt, vt augeatur potius illa et amplificetur. Hoc etiam conſilio Societas Latina inſtituta eſt a doctiſſimis viris: hoc ſpectauerunt praeſtantiſſimi viri Hertzogius, Kromayerus, Hallbauerus, Eccardus, quorum non praeteriiſſem laudes, niſi veritus eſſem, ne Societas ornamenta ſua ipſa glorioſe enumerare videretur. Habetis, Commilitones, palaeſtram, in qua vos exerceatis: adſunt, qui vos et conſiliis adiuuent, et exemplo excitent: opportuna, et quam alibi fruſtra quaeretis, laudis occaſio vobis offertur, quam ſi omiſeritis, videte, ne vobis ipſi defuiſſe atque rem pulcherrimam neglexiſſe videamini. Quare Vos, omnes, quicunque adeſtis, et fauebitis inſtituto noſtro,

et

et hunc diem piis votis et ominibus celebrabitis. Nam ſi litterae, quarum in ſtudio, quantum poſſumus, laboramus, non ſolum plurimum commodi, ſuauitatis et dignitatis nobis afferunt, ſed etiam magno ſunt ornamento academiis, vbi, ſi illae exulant, barbaries ventoſa et garrula, ridiculaeque de rebus nullius momenti contentiones regnant: quid, inquam, aequius eſt, quam Vos omnes optare, vt hoc collegium quam maxime et diutiſſime floreat atque vigeat?

Atque ita quidem partes mihi a Sodalibus datas egiſſe videor. Triſtes ſunt, quae reſtant, meae, a grato animo atque ab amicitia mihi impoſitae. His igitur me ſatisfacere laborantem vt attente audiatis, oro.

Duo prope anni ſunt, celeberrimi huius Academiae Profeſſores, ex quo me e ſinu Lipſiae, meae dulciſſimae nutricis, cui Deus faueat! ad Vos venientem benigne excepiſtis. Reliqui enim optimam matrem, non, vt quosdam in hac vrbe, ſiue quod inimici mihi ſunt, ſiue quod parum acute de rebus iudicant, dicere audio, non igitur (dicam, qua poſſum, clariſſima voce) vllius hominis imperio, odio aut inimicitia coactus Lipſiam reliqui, vbi non paucos eſſe, qui et nomen noſtrum honorifice vſurpent, nobisque faueant, vere et lubenter glorior. Sed non ferre poteram adſpectum grauiter afflictae vrbis: non placebat inter arma et milites viuere: tranquilliorem locum quaerebam, atque migrabam huc eo conſilio, vt olim fortaſſe redirem ad Lipſienſes meos. Veni igitur Ienam, atque ab eo inde tempore omnium Veſtrum comitatem et humanitatem, quorundam etiam beneuolentiam atque amicitiam expertus ſum. Quemadmodum ego illos nunquam non praedicabo, ita his (neminem certas ob cauſas nomino; intelli-

gent

gent ipſi, de quibus dico, ad ſe hanc orationem pertinere,) his igitur maximas gratias ago habeoque. Inprimis vero Tibi, Senex Venerabilis, Rector Academiae, me tantum debere, quantum perſoluere difficile eſt, lubenter agnoſco et fateor. Nam pro ea, quam in Te omnes amant et colunt, comitate, etiam me in Tuorum numerum recepiſti, mihique, quibuscunque potuiſti modis, Tuam beneuolentiam praeſtitiſti. His tuis erga me meritis hoc vnum, quaeſo, Venerabilis Walchi, adde. Quem adhuc erga me animum habuiſti, eundem vt abſens etiam cognoſcam, oro. Quam Tuam voluntatem ſi nulla alia re, pietate certe perpetuaque Tuae beneuolentiae memoria vt mereri videar, diligenter operam dabo. Idem de me Vobis, Vos reliqui eruditiſſimi Doctores, polliceor ac ſpondeo. Propenſa Veſtra erga me voluntate nullum erit tempus quo non vehementer delecter. Veſtram vero amicitiam ſemper amabo, memoriaque proſequar ſempiterna. Deus Vos omnibus bonis florentiſſimos conſeruet, atque vt quam diutiſſime huic Academiae vtilitati et honori ſitis, efficiat. Mihi vero, ſi non indignus videar Veſtra beneuolentia, fauere pergite, atque, ſi ſtudium voluntatemque meam quocunque tempore cognoſcere volueritis, Vos me ſemper promtum et paratum habituros eſſe credite.

Venio nunc ad Te, Societas Latina, a qua quanto cum dolore auellar, omnium optime ſentio. Nullae mihi prope ſuauiores horae fuerunt illis, quibus Veſtris concionibus interfui: o! mei, nullum negotium iucundius iis, quae Veſtro nomine mihi agenda fuerunt. Tantam ex aliorum alacritate, aliorum elegantia voluptatem capiebam! O iucundiſſimi dies,

quoties

quoties vos recordabor! o ſuaues horae, quoties vos deſiderabo! Solam vero praeteriti temporis memoriam videbo mihi relictam eſſe. Heu! triſtem ſpeciem, et acerbam cogitationem. — Sed colligam me, fortiterque, quae ſuperſunt, agam. Primum igitur Vobis, Director atque Ephore, Societatis, ſingulares gratias ago habeboque, dum viuam. De veſtra erga me beneuolentia non opus eſt, vt multa dicam. Saepe enim illam declarauiſtis multisque modis teſtati eſtis. Hanc mihi porro praeſtate, Vobisque perſuadete, me illum ſemper fore, qui eruditioni Veſtrae cultum, humanitati laudem, beneuolentiae amorem habeat. Eandem officiorum memoriam in me Tu quoque, celeberrime Senior Societatis, experieris, cuius amicitia non magis vtilis mihi fuit, quam iucunda. Dabis hoc voluntati meae, in qua vis deſiderii ineſt, vt abſenti faueas, quem adhuc amicitia Tua, quam mihi valde gratulor, dignum iudicaſti. Quid dicam de Vobis, Sodales et honoribus, et doctrina, et genere excellentes? Alios Veſtrum mihi beneuolos fuiſſe noui: aliis amicis vſus ſum, meque amari ab iis non obſcure cognoui: alii — ſed abſit omen! omnes mihi beneuolos et eſſe et fore cupio, atque ideo etiam lubenter credo. Certe teſtatum apud omnes, qui me nunc audiunt, relinquam: nullum Veſtrum eſſe, cui non bene cupiam, a quo non amari velim. Illud etiam addo: ſi quem Veſtrum, vt ſumus homines, offenderim, (fateor autem ipſe, veritatis amorem interdum me longius abripere, atque, vt liberius loquar et vehementius cauſam iuſtam defendam, efficere, quam multi ferre poſſint, quamque etiam ego ipſe, vbi deferbuit ille aeſtus, velim) ſi igitur quemquam offenderim, doleo, illud a me factum eſſe, et oro, vt quisquis ille ſit, antequam

hinc

hinc discesserim, me adeat, sibique a me satisfieri patiatur. Mortales inimicitias, immortales amicitias me exercere vt intelligat, efficiam. Detrahat mihi quisque, quod velit. Detrahat ingenii et elegantiae laudem: dabo. Detrahat seuerum verae doctrinae studium: dabo, licet inuitus, sed dabo tamen. Solum vero viri boni, amici fidelis, officiosi, simplicis, amicorumque studiosissimi nomen relinquat, quod et semper mereri studui, et dum viuam, studebo. Hic animus, hi mores si Vobis placent, fauebitis mihi, aut potius me amabitis. Si quid fuerit, in quo opera nostra Vobis aut voluptati aut vtilitati esse possit, eadem alacritate Vestro honori inseruiam, quam vt in me cognosceretis adhuc laboraui. Meum nomen ne Vobis dedecori sit, a me opera dabitur, atque vehementius me etiam ad nomen Sodalis Latini tuendum adhortabitur in Academia Georgia Augusta memoria ornamenti perpetui Vestrae Societatis, Gesneri, quem etsi viuum me admirari et complecti dura fati acerbitas noluit, (heu! pater, heu! decus vnicum litterarum nostrarum!) mox tamen illius cinerem, sacro tumulo assidens, piis lacrimis spargam. Deus vero immortalis et Praesidem Vestrum, Illustrissimum Comitem Ruthenum, splendidum et gentis suae et litterarum decus, et omnes Sodales, cum qui adsunt, tum qui in aliis locis viuunt, honore, ingenio, doctrina, omnibus bonis florentissimos seruet. Ita Tu vale, o iucundissima mihi Societas Latina!

Denique priusquam loquendi finem faciam, ad Vos etiam, optimi Commilitones, quaedam dicenda sunt. Si qui Vestrum studiis nostris fauerint, grata mente hanc beneuolentiam reponam: si qui bene de nobis senserint, efficiam, ne in hoc de nobis iudicio

errasse

erraſſe videantur: ſi qui me dilexerint, atque etiam hunc animum qualicunque modo teſtati ſint, quorum non paucos eſſe gloriari poſſum, iis nunquam non amore, beneuolentia, officiis reſpondere conabor. Qui igitur hoc animo erga me eſtis, illum mihi ſeruate, atque ita de me iudicare et ſentire pergite, vt et Veſtra humanitate dignum eſt, et ego maximopere cupio. Ita Vos reipublicae vtilitati, parentibus voluptati, litteris ornamento eſtote. Ita, quocunque tempore Dei ſapientiae viſum fuerit, ampliſſima diligentiae et virtutis praemia accipitote.

At Tu, Deus aeterne, complectere prouida benignitate Tua totam hanc Academiam, cum Sereniſſimos Principes, quorum munificentia illa fouetur, et nutritur, tum omnes, qui et docendi munere funguntur et litterarum diſcendarum cauſa hic viuunt, et Ienam ſemper florentiſſimam optimarum litterarum ſedem et publicam bonae mentis officinam eſſe iube.

V.

Oratio

in Academia Gottingenſi d. 15. Nouemb. a. C. 1762. habita.

Quod precatus ſum ſemper a Deo Opt. Max. vt, ſi iis litteris, quibus nihil praeſtantius humano generi donaſſet, quarum ſtudio animus moresque formarentur, ingeniumque mirifice poliretur atque aleretur, quibusque reliquarum artium vita quaſi contineretur et ſpiritus, ita ab ineunte aetate operam de-

diſſem, vt, neque honorum, neque laudis, neque vllius praemii ratione habita, ſolam illius gloriam, et publicam vtilitatem ſpectaſſem, atque in hac totam mentem infixam habuiſſem, aliquando me illam qualemcunque harum litterarum ſcientiam expromere, et illa iuuentuti prodeſſe pateretur: illud me ita impetrauiſſe, vt ſimul ea, quae, neque optare, neque ſperare, auſus eram, mihi obtingerent, maximopere laetor. E multis profecto diebus, quos in vita iucundos et honorificos vidi, hic multo iucundiſſimus mihi eſt atque illuſtriſſimus, quo immortali Dei beneficio, diuina Auguſtiſſimi Regis benignitate, praeclariſſimo maximorum virorum iudicio, ampliſſimos honores, ſummum praemium, et optimam de litteris atque iuuentute bene merendi occaſionem nactus ſum. Nam ſi, quale munus a quanto Rege et in qua Academia mihi mandatum ſit, conſidero, quocunque me animo et cogitatione conuerto, nihil neque ad nominis famam glorioſius, neque ad muneris dignitatem honorificentius, neque ad animi voluptatem iucundius mihi accidere potuiſſe iudico.

Primum quod a Rege, Georgio III. hoc beneficio ornatus ſum, quale hoc quantumque eſt? at a quo Rege? non dico, potentiſſimo, magnis terra marique rebus geſtis clariſſimo, cuique ad pacandum orbem terrarum, ad ſeruandam Germaniae libertatem, ad reddendam afflictae patriae pacem et tranquillitatem diuinitus adiuncta fortuna ſit. Ab illo dico Rege, qui, licet breue tempus, ſi dies, multos vero annos, ſi res geſtas ſpectes, regnaſſe videatur, totum orbem diuinarum virtutum admiratione impleuit: qui, quo nullum felicius auſpicium eſt, neque pulchrius neque melius initium imperii ſe ponere poſſe

poſſe putauit, quam ſi rem diuinam bene conſtitueret, quique nullum diem omittit, quin ſe paterno animo ciuium ſalutem complecti teſtificetur. Talis igitur tantique Principis ſi nemo ſe ciuem eſſe cogitat, quin ſuam agnoſcat atque ſentiat felicitatem, qua tandem laetitia efferantur ii, qui in litterarum ſtudiis verſantur, ſi eundem Georgium ſuſcipere artes, fouere litteras, ornare ingenia videant? Nempe tum demum magnus et parem fortunae ſuae virtutem nactus Rex ſe omnes boni principis et patris patriae partes implere ſibi perſuaſit, tum ſe digniſſimum Georgio II. nepotem eſſe arbitratur, ſi illius exemplo non ſolum legibus et diſciplina rempublicam ordinet, ſed litteris quoque et doctrina ciuium animos excolat, atque ſic de toto hominum genere praeclariſſime mereatur. Etenim pro admirabili ſua ſapientia intelligit, magnam partem publicae ſalutis ſeruandae, ſtabiliendae, augendaeque ſitam eſſe in doctrinae ſtudiis: his ciuium animos perpoliri, neque minus ingeniorum, quam omnis virtutis vbertatem, inde efflorescere: his pacis bellique artes contineri: qui et ſcribenda faciant et facienda ſcribant, formari, atque ab his ipſorum principum digna immortalitate facta et nomina ampliſſimis monimentis conſecrari, omnique aeternitati tradi: Academias vero florentiſſima eſſe doctrinae domicilia, eſſe bonae mentis publicas officinas, vbi ſapientiae doctrinaeque opes colligantur, eaeque inde, quaſi coloniis deductis, non ſolum in patriam, ſed in omnes etiam terrae partes transferantur, atque ideo iis conſtituendis et fouendis liberaliter principem non magis ſuae gloriae, quam ciuium ſaluti et vtilitati conſulere. Hinc verus patriae Pater etiam Georgiae ſuae Auguſtae pater appellari amat: hinc eruditionem eruditosque ho-

mines in fidem et clientelam ſuam recipit: hos iis honoribus ornat, iis ſtipendis fouet, vt, ſi vel cogitatione fuiſſet fingendus, neque munificentior potuiſſet rex inueniri, neque ſapientior litterarum patronus. Quibus igitur praemiis magis aut ornari aut excitari poſſunt eruditi homines, quae ardentius exoptare, quibus acceptis magis et iuſtius gaudere, quam iis, quae auguſta illa et nata ſceptris Georgii III. manus diſtribuit? Licet ego tantam beneficii honorisque mihi ab optimo Rege habiti magnitudinem eſſe intelligam, vt eam oratione nequeam complecti: tamen, niſi haec omnia maxima eſſe faterer, niſi me intimis ſenſibus his affici ſentirem, indignus profecto forem, in quem talia conferantur.

Verum non ſolum Regis erga litteras amor et liberalitas, ſed ſummorum quoque, quos in conſilio habet, virorum fama, gloria et virtutes efficiunt, vt non maiorem hoc honorem mihi haberi potuiſſe exiſtimare debeam. Nam ſi, quo quisque melius de litteris iudicat, eo verius atque illuſtrius, quod de viris eruditis facit, iudicium videri debet, atque ſi, quo maiori ipſe ſplendore et gloria conſpicuus eſt, eo plus, quos ornat, ab illo accipiunt: nonne gaudeam atque exultem, illum Virum, quem in exemplum, in ornamentum ſeculi, in ſolatium litterarum natum eſſe vno omnes viri boni ore fatentur, eum eſſe, quem ſapientiſſimus Rex Academiae ſuae praefecerit, cuique ego huius honoris magnitudinem debeam? Atque etſi Munchhuſius veſter vniuerſum, qua bonis litteris pretium ſtatuitur, orbem laudum ſuarum theatrum effecerit, illiusque gloria ab huius orationis tenuitate nullum ſplendorem capiat, per ſeſe omnium ſeculorum memoria victura, et tot tamque illuſtribus

monimentis ad immortalitatem commendata: boni tamen consuletis prorumpentem hunc grato et laeto pectore sensum, et quas mente concepit pietas, et admiratio tacite continere nequit, ingenuas voces. Est enim haec non tam mea, quam omnium eruditorum oratio, non vnius hominis, sed optimi cuiusque sententia, diuinitus ad litteras ornandas, salutari Germaniae fato, missum esse Munchhusium, quem si complures populos huic seculo, his terris, huic Academiae gratulari dixero, profecto verissime sum dicturus. Quibus enim, quantisque putatis laudibus exteras nationes Maecenatem vestrum extollere? Quae existimatis illas narrare de benignitate, de comitate, qua ille homines eruditos excipit, audit, compellat? quantum praedicare insignem liberalitatem, qua eosdem excitat, illorumque studia et instituta prouocat, iuuat, sustentat? quantum admirari prouidam curam et amabilissimum amorem, quo Georgiam Augustam complectitur? His vero laudibus ab exteris profectis, nullaque aut spe, aut adulatione expressis, quae possunt certiores esse? Non dubitabo profecto, quod saepius vidi cum in patria mea, tum in aliis regionibus, libere commemorare. Tanta est eruditorum hominum de Maecenate vestro opinio, tanta Munchhusiani nominis veneratio, vt illius, quasi tutelaris cuiusdam litterarum numinis, veneranda imagine complura musea exornata viderim. Nempe homines sensisse credo, hoc teste, huius augusti vultus adspectu excitari animum, atque ad egregium aliquid, et quod plures in annos viuat, scribendum accendi. Atque etiam, si demum is verus honor est, qui nobis a sapienti rerum iudice habetur, quo maiori iure gloriari possumus, quam qui nobis ab illo tribuitur, qui, quos ornare debeat, acutissime intelligit?

 git?

git? Iam vero Maecenatis veſtri eruditionem non in honorem generis et dignitatis laudari, illiusque de ingeniis omnique doctrina iudicium magni fieri debere, plurimis iisque clariſſimis documentis dudum cognitum eſt et perſpectum.

Quae quidem omnia ſi mecum reputo, ſi me a maximo litterarumque amantiſſimo Rege, per veriſſimum Maecenatem digniſſimumque altero Octauiano Caeſare amicum, his honoribus ornari cogito: non poſſum non mihi maximis praemiis condecoratus atque beatiſſimus videri. Quam meam felicitatem, ſi ipſam illam litterarum vniuerſitatem, vbi poſthac litteras docturus ſum, conſidero, magis etiam ſentio. Etſi enim vir bonus illud potiſſimum ſpectare debeat, vt bene agat, neque aut loci dignitatem aut laudis magnitudinem magnopere curare: ipſe tamen locus ſaepe peropportunam occaſionem, de quam plurimis melius merendi, offert, nos ad partes noſtras alacrius agendas excitat, atque, vt totum animum, curam cogitationemque noſtram in omnium laude vndique colligenda ponamus, hortatur. Quemadmodum latens in obſcuro angulo virtus facile elangueſcit, etiam conniuet interdum atque obdormiſcit, certe, et laudis ſtimulis deſtituta et vituperationis metu exemta, minus diligenter omnium officiorum momenta perpendit: ita eadem in illuſtri loco poſita non ſolum quotidie ſibi noua incitamenta admoueri ſentit, ſed etiam, cum in luce vel leuiſſima macula appareat, diligentiſſime curat, ne committat quidquam, quod ſplendore loci impoſitaque ſibi perſona indignum ſit. Certe illud mihi vere videor eſſe dicturus, neque repugnantibus, vt opinor, doctrinae paullo ſeueriori et duriori, quam natura hominum pati-

patitur, deditis, niſi loci celebritas, ſi deſit, vehementius deſiderari debeat, eandem tamen, ſi adſit, magna in felicitatis parte ponendam eſſe. Iam vero qualicunque meo ingenio et doctrinae theatrum dari video, ampliſſimum magnitudine, eruditiſſimum iudicio, gloria et fama florentiſſimum. Eſt enim veſtra, Viri celeberrimi, Academia, (nam dicam, quod omnium bonorum teſtimonio confirmatur, non reuerens aſſentandi ſuſpicionem) etſi non multis abhinc annis condita, eam tamen Dei immortalis benignitate, diuina Georgiorum munificentia, incredibili Munchhuſii cura, famam conſecuta, vt, quod difficillimum eſt, cum antiquiſſimis de gloria contendere queat. Nihil dicam de praeſtantiſſimis viris, qui in hac Academia docuerunt, docent, et doceant opto diu feliciter! quique famam Gottingae et doctrina et ſcriptis longe lateque diſſeminauerunt, atque ad ſempiternam memoriam temporis propagauerunt: nihil de honoribus, quibus ſapientiſſimus Rex doctores ſuae Academiae ornatos eſſe voluit, deque honeſtiſſimis, quae illis propoſuit, ſtipendiis: nihil de humanitate et modeſtia, quam in iuuentute, quae litterarum cauſſa huc veniat, laudari ſaepius memini. Vereor enim, ne, ſi de his omnibus plura dicere velim, licet illa veriſſima et nemini ignota ſint, modeſtiae veſtrae atque verecundiae vim faciam. Illud certe hinc apparebit, me beneficii Regii magnitudinem perſpicere, meamque felicitatem intelligere. Neque enumeraui omnia, quae mihi obtigerunt, bona; nihil dixi de auguſto Mineruae templo, illo delubro ſapientiae, illo magnarum animarum domicilio, quod omnis aeui monimentis condecoratum, regia exornatum magnificentia, in ornamentis Germaniae, in miraculis huius aetatis, vt olim illa a Ptolo-

maeo Musis dedicata eruditionis sedes, numerabitur. Excitatur profecto animus et inflammatur vehementer, quoties illa immortalitati consecrata nomina adspicit, et, quibus liberale ingenium nutritur et delectatur, aeternitatis praemia considerat. Vtilitas vero et voluptas, quam ex hoc sapientiae sinu reportamus, vbi, quoscunque et antiqua et recentior aetas tulit, praestantissimos viros et quocunque doctrinae genere excellentes, consulere licet, vbi, vt in Apollinis aliquo oraculo, maximis de rebus cum praeclarissimis ingeniis suauiter et libere colloqui datur, maxima est, neque cum vlla alia oblectatione conferenda. Quid dicam de aliis, quibus negatis humana natura dolet? quid de aëris temperie, et coeli salubritate? quid de adfluentia rerum, quibus suauior et iucundior vita redditur? quid ea enumerem, quibus animus laboribus fatigatus mirifice recreatur: opacas illas montium altitudines, immensitates illas amoenissimorum camporum, illum placidis, moresque accolarum suorum lenes imitantibus, fluctibus vrbem secantem fluuium, illas riparum, amoenitate arborum distinctarum, virides vestitus?

Hac in vrbe si nemo non lubenter et iucunde viuit, quam felicem et beatum me existimem, necesse est, quem honesto loco in illa esse voluit Regis benignitas, qui amplo stipendio proposito huc vocatus sum, qui denique me in hac vrbe iucundissimis, vtilissimis, honorificentissimisque laboribus operam daturum esse video. Hic enim, hic cumulus est felicitatis meae: hoc perficit Regium beneficium. Quid tandem mihi iucundius esse potest, quam quotidie in maximorum omnis aetatis hominum societate viuere? inter Thucydides, Xenophontes, Caesares, Cicero-

cerones verſari, et cum illis amicitiam a prima pueritia contractam confirmare, qui maximis rebus geſtis, ingenio et doctrina clariſſimi ſunt? Geſtit animus antiquorum ſapientiam, non elinguem illam aut garrulam, ſed ſplendido liberalium artium comitatu ornatam, cognoſcere, quae illi de virtute, de officiis, de bene viuendi diſciplina praeceperint, et quo, licet deſtituti, qua noſtri animi colluſtrantur, coeleſti luce, progreſſi ſint, intelligere? accedemus viros, magnis in republica muneribus functos, in celebritate verſatos atque luce, multoque rerum vſu inſtructos, illos inprimis Socratica doctrina ornatos atque ſuauitate iucundos. Lubet eandem prudentiam e rebus geſtis haurire, quaeque illi docuerunt, nunc in vita hominum perſpicere, maximaque virtutum et vitiorum exempla intueri? audiemus Xenophontes, Polybios, Liuios, Salluſtios, tanta prudentia, tanta etiam elegantia atque varietate rerum, regnorum et hominum fata enarrantes, vt nihil ſupra ſit. Intelligere cupimus artes, quibus imperare totis populis, eosque, quo vellent, flectere potuerunt magni viri, quibus, vt tonare et fulgurare dicerentur, effecerunt? Mirabundi vim Demoſthenis et Ciceronis cognoſcemus, et leni atque iucundo Iſocratis dicendi genere delectabimur. Ad amoeniora diuertere cupimus, atque praeſtantiſſimorum hominum carminibus nos recreare, quae cum virtutis amorem inſpirant, tum incredibili animos ſuauitate perfundunt? Mirabimur Homeros, Pindaros, Horatios, Theocritum autem, Anacreontem et dulciores Muſarum alumnos amabimus. Iuuat denique harum virtutum, quas in illis omnis aetas laudauit, intelligendarum et diiudicandarum artem diſcere, atque ſenſum veri ac pulchri formare et acuere? Aderunt Longini, Dionyſii,

Quintiliani. Quae vero voluptas cum eá comparari poteſt, quam animus meus quotidie ex his libris legendis et explicandis percipiet? quae felicitas maior ea, quae mihi contigit, quem nunquam non iis litteris delectatum iri intelligo, in quarum ſinum alii, ſi quando recreare animum velint defatigatum, confugiunt? Neque vero maiorem iucunditatem, quam, (ſi Deus, quod oro et ſpero, operam noſtram fortunauerit!) vtilitatem horum laborum fore, ſi copioſius oſtendere velim, ne Veſtrum, AA. de his litteris iudicium ignoraſſe videar, vereor. Nam veſtro erga illas amore, nonne clare teſtamini, aſſentiri vos eruditiſſimis viris, qui his humanitatis ſtudiis nullam vniuerſae eruditionis partem carere poſſe: qui eorum ope ſacrorum, a priſtina barbarie atque ſuperſtitione purgatorum et reſtaurationem mirifice adiutam eſſe, et integritatem firme ſeruari: his ſubnixos ad ſummum in omni doctrina faſtigium et contendiſſe et perueniſſe viros praeſtantes: his cum animum multarum magnarumque rerum ſcientia impleri, tum poliri ingenium, ali, eodemque humanitatis, modeſtiae, ſuauitatis colore imbui, quo praeclara, quibus hae litterae contineantur, monimenta colorata ſint, veriſſime docent? Hiſce igitur artibus docendis operam daturus nonne praeclariſſimam de republica, de litteris bene merendi occaſionem nactus ſum? De dignitate vero quid dicam? quaſi vero de illa dubitare quisquam debeat, cum ipſe diuus Georgius in legibus, quibus hanc Academiam condidit, ne, quae elegantiores humanioresque vocantur, litteras negligant, ſuos admonuit. Diuina vero vox, quaeque et vere paternum, quo ſuos complectebatur diuus Rex, animum teſtatur, et litteras noſtras ab omni contemtu vindicat! Non opus eſt, vt illuſtribus exemplis ſem-

per

per haec ſtudia abundaſſe doceam, vt eis maximos principes ſingularem honorem habuiſſe narrem, vt optima ingenia iisdem operam dediſſe oſtendam, vt immortalia nomina, Melanchthonis, Camerarii, Caſelii, Sturmii, Bergeri, et quem nuper non ſine lacrimis ſepeleuiſtis, immortalitate digni, Gesneri, commemorem, qui harum litterarum cultu et Germaniae inſignem operam praeſtiterunt, et ſibi gloriam pepererunt nunquam interituram. Satis eſt Regem, ſatis Regem magnum, Georgium, ſua voce litterarum ſtudium commendaſſe, atque hac commendatione illi inſigne decus et praeclaram dignitatem conciliaſſe.

Hanc igitur inſignem felicitatem, hunc praeclarum honorem cum ad animi mei fructum atque laetitiam permagnum, tum ad curam ſollicitudinemque multo maiorem duco. Verſantur in animo meo multae et graues cogitationes: quid tantis iudiciis, tanto honori, tantae liberalitati debeam, intelligo, atque haec cogitatio hanc vim habet, vt quantum in hoc munere tuendo mihi elaborandum ſit, nunquam me obliuiſci patiatur. Magnitudo Regis, Munchhuſii ſapientia, gloria Academiae, ipſius, quod adeo, muneris dignitas, haec omnia mihi ante oculos verſantur.

Age igitur mea (nam voluiſti me tuum eſſe, quem tam liberaliter vocaſti et excepiſti) age, Georgia Auguſta, accipe, quam tibi ita adſtringo fidem, vt illam magis re ſemper et factis, quam nunc oratione et verbis tibi probaturus ſim. Quantum mihi enitendum ſit, vt me plurimum tibi debere tota vita oſtendam, pulchre ſentio. Illud vero non ſolum

votis

votis pro Rege, pro Munchhuſio tuo, pro tua tuorumque ſalute, faciendis, ſed etiam cum doctrina, tum perpetua virtutum, quas in tuis laudant et amant exteri, imitatione mihi declarandum eſſe exiſtimo. Animaduertiſſe enim mihi videor, in laudibus tuis poni inprimis humanitatem, modeſtiam, vrbanitatem doctorum tuorum, quorum ad exemplum me nunquam non componam. Et a quo tu etiam illas virtutes maiori iure poſtulabis, quam ab eo, qui eas litteras profitetur, quae ipſo nomine indicant, ſe humaniores elegantioresque ſuos cultores reddere? Si etiam exemplorum magna vis in animis hominum eſt, vehementius illis, quibus flores, virtutum imaginibus, ad earum amorem me excitatum iri ſpero, quas iam ipſarum pulchritudo et benigna natura mihi commendauit. In munere autem mihi demandato ita verſabor, vt, quicquid in me ingenii, quicquid doctrinae, quicquid induſtriae, eo conferam, vt et proſim ciuibus tuis docendo, et ſcribendo cum exteris vtilitati ſim, tum tuae famae inſeruiam. Qua quidem in tota ratione ſequar ego, quantum diuerſitas ingeniorum patiatur, illum, quo tu iure gloriaris, quem communem ſuum praeceptorem fuiſſe, Germania, ſi grata eſſe velit, fateatur neceſſe eſt, quem mortuum et priuatim veris lacrimis, homo non ambitioſus in lacrimis, proſecutus ſum, et in doctorum hominum concione ita ex animi ſententia laudaui, vt dirutum eſſe dicerem atque euerſum delubrum, quod ſibi Muſae extruxiſſe et elegiſſe viſae eſſent: elatam funere eloquentiam et poeticam, terrae mandatam animam litterarum, obſcuratum ſplendorem eruditionis, rem litterariam acerbiſſimo vulnere ſauciatam. Atque, dum me nunc eo loco dicere video, vbi Geſnerus tuus ſaepe concionem tenuit, eandemque

que semper suauiter delectatam dimisit, me sacro quodam horrore perfundi, magnique nominis memoria excitari sentio. Immo mihi ab ipso admoneri atque his verbis compellari videor: magnum onus tu sustines, quem sapientissimus Georgius in hac dulcissima mea Academia tantis honoribus ornauit: ipsius loci celebritas atque fama te commonent, vt, quantum eniti possis, elabores, ne tot praeclaris virtutum et doctrinae exemplis dissimilis videare. Habes duces, quos sequaris, optimos: habes, quae imiteris, praestantissima exempla. Haec intuere: de his cogita. Ostende te gratum erga illos, quos tuae fortunae auctores habes: qua vero poteris ratione melius, quam assiduitate, fide, et dexteritate? Hae igitur virtutes ne in te desiderentur vnquam, omni studio prouidebis. Referes omnia, quae agis et doces, ad publicam vtilitatem, et ad fructum eorum, qui te audiant: nihil ad ostentationem, quae, si vel fallat primum et blandiatur, mox ad eas, quas meretur, tenebras detruditur. Cogitabis etiam illud: summum hunc esse fructum e veterum lectione petendum, vt sapere discant homines, quod Graeuium suis inculcasse aiunt. Hinc et illud videbis, vt acuas ingenia tuorum, formes, atque ad elegantiam in iudicando, dicendo, scribendoque adducas, neque omittes, quae ad prudentiam, ad rerum humanarum cognitionem, ad virtutis amorem pertineant. Hoc si, Deo bene iuuante, feceris, neque pudebit vnquam sapientissimos Regis amicos sui de te iudicii, neque te Gottingam venisse poenitebit. Haec igitur aliaque, quae, si viueret, loqueretur mecum Gesnerus, (nam daret, credo, hanc orationem precibus meis) semper infixa animo erunt. Etsi etiam in hanc aetatis infirmitatem neque sapientia illa neque eruditio cadat, quae

mul-

multo vſu longaque annorum ſerie comparatur: habet tamen illa duo alia, quae tibi, Georgia Auguſta, non minus probabuntur. Primum enim adoleſcentiam meam vt ſimplicitas, modeſtia, et pudor ingenuus ſemper comitentur, operam dabo; vnde accidit hoc commodi, vt cum ſerior aetas interdum ſit moroſior minusque facilis in receptis ſemel ſententiis mutandis, aut diſſenſu aliorum ferendo, haec contra ſit mollior promtiorque futura ad morem viris bonis gerendum. Deinde quo magis haec aetas robore et viribus pollet, eo maiorem laborem et diligentiam acriorem ſuſtinere valet, quibus ita vtar, vt a quoquam ſuperari aegerrime ſim laturus. Denique, vt omnia paucis complectar, nihil mihi probabitur, quod tibi improbari animaduerterim, neque mihi ipſe placebo diutius, quam me tibi viderim placere.

Qua mea profeſſione, quam ſanctiſſimi iurisiurandi vim habere volo atque denuntio, facta, eo maiore ſpe atque fiducia vos, celeberrimi huius Academiae Doctores, alloquor. Quomodo enim vos eum aſpernari poteritis, quem, veſtris exemplis excitatum, omne ſuum ſtudium, quidquid in ſe aut ab ingenio aut a doctrina eſt, immo ſe ipſum veſtrae Academiae dicaſſe modo audiuiſtis? Quantum autem mihi hanc felicitatem gratuler, quod vobiscum in eiusdem honoris ſocietatem vocatus ſum, cum optime intelligo, tum vix eloqui audeo. Nam licet, ſi, me vos omnes dudum ob virtutis et eruditionis praeſtantiam admiratum eſſe, dicerem, ſi compluribus veſtrum, quorum libros me magna cum vtilitate et voluptate legiſſe nunquam me fateri pudebit, multum debere adderem, ſi meam tantorum in virorum collegium cooptationem non magis me honorificam, quam ob

mul-

multas cauſſas iucundam exiſtimare profiterer, licet igitur, ſi haec omnia commemorarem, ex animo loquerer: vereor tamen, ne, aut vobis, qui recte factorum conſcientia magis, quam laude veſtra delectamini, moleſtior ſim, aut tralaticium honoris habendi genus et tempori, et ſpei alicui, dediſſe videar. Atque etiam ipſam naturam me ad hanc ſiue humanitatem, ſiue artem, minus aptum finxiſſe fateor. Simplicitate potius, vera virtutum veſtrarum admiratione, et, qui inde naſcitur, omnium veſtrum ingenuo cultu vobis placere cupio. De ingenio meo aliquid vobis promittere neque volo, neque poſſum: de animo candido et liberali plura audeo polliceri. Video veſtrum plures iam prouectos aetate, et, quae comes eſt eruditae ſenectutis, prudentia vſuque rerum inſignes. Hi ſe a me tanquam patres coli patientur. Video reliquos omnes meritis, dignitate, gloria, eruditione ornatos. Cuique horum hunc cultum habebo, vt, quantum illum venerer, perpetua harum virtutum imitatione teſtificer. Quid multa? ſi vos eos, qui collegii neceſſitudine vobiscum coniunguntur, virtutis etiam, beneuolentiae, atque humanitatis ſocietate vobiscum coniungi velitis, nullo officii genere omiſſo, enitar, et, vt ſpero, efficiam, vt voluntati veſtrae reſpondere, nec vnquam beneuolentia veſtra indignus eſſe, videar. Quod meum conſilium ſi vobis probatur, at ſcio illud viris tam ſapientibus non poſſe non placere: non ſolum illud oro, vt me lubenter in collegium veſtrum recipiatis, ſed etiam ſi illius perficiendi ſtudium in me ſemper cognoueritis, vt me omni reliquo tempore fauore veſtro complectamini, beneuolentia ornetis, conſiliis iuuetis, ita rogo, vt maiore ſtudio magisque ex animo orare nihil poſſim. Quod vt mihi vos daturos eſſe ſperem,

illa,

illa, cuius laude maxime floretis, quamque iam per paucos hos dies, quos in hac vrbe egi, ſatis expertus ſum, humanitas efficit. Quid autem ego de te dicam (patere, quaeſo, illuſtris Michaelis, me verum de te dicere, et paullisper modeſtiae tuae vim adſer) quid de te dicam, Vir illuſtris, in quo colendo mihi patriam ſanctitatem conſtitui, aut quibus verbis tuae erga me beneuolentiae gratias agam? Quod erit vnquam tempus, quo meam felicitatem cogitem, quin vna, quantum tibi debeam, recorder? Sed ſingulari huic tuo in me ſtudio cum verbis reſpondere non liceat, non deceat, quam poſſum meliorem gratiam referre, quam ſi de hac Academia, cuius cauſſa tu omnia illa feciſti, bene mereri ſtudeam? Ego vero, quantum me tibi obſtrictum exiſtimem, vel inde omnes iudicare cupio, quod nihil amplius de tuis in me officiis addam, cuius mei ſilentii hanc vim eſſe volo, vt maiora tua de me merita ii, qui me nunc audiunt, exiſtiment, quam quae me oratione aſſecuturum eſſe, ſperem.

Venio nunc ad vos, Commilitones, et genere, et ingenio, praeſtantiſſimi, quos non ſine voluptatis ſenſu adſpicio. Recordor enim illud, quod non ſemel audiui, et quo etiam nomine mihi Gottingam iucundam fore arbitror, vos non maiore doctrinae, quam modeſtiae et humanitatis, amore duci. Macti hac virtute, hac pulcherrima laude eſtote, cariſſimi Commilitones. Me quidem hodie veſtris ſtudiis totum conſecro, nihilque mihi iucundius fore profiteor, quam ſi plurimorum commodis inſeruire potuerim. Habebunt me, quicunque voluerint, ſiue ducem et doctorem, ſiue comitem et adiutorem laborum ſuorum. Aperiemus muniemusque vobis viam

ad

ad pulcherrimarum rerum ſcientiam, quae diligenti et apta Graecorum Latinorumque ſcriptorum lectione ſternitur. Incedemus vero via doctiſſimorum hominum veſtigiis ſignata: omnem, quae inutilis oſtentationis ſpeciem habeat, rationem remouebimus, atque in eo ſolum elaborabimus, quod vobis vtile eſſe, ſummorum virorum auctoritate adducti, nobis perſuaſimus. Illud dabimus inprimis operam, vt intelligatis, veterum auctorum lectionem non, quod in Academiis agimus, temporis ſpatio terminisque coerceri, ſed ſumma cum voluptate et vtilitate per totam vitam continuari et poſſe, et debere. Denique nunquam committemus, vt obliti videamur, ſitam in vobis eſſe ſpem atque exſpectationem patriae, ſita vota reipublicae et parentum, neque melius nos de republ. mereri poſſe, quam ſi vobis ad virtutem et ſapientiam voce et exemplo praeiuerimus.

Reliquum eſt grauiſſimum pietatis in Deum immortalem officium, quod dum praeſtamus, vos omnes, quotquot adeſtis, animis noſtrae pietati fauebitis.

Tibi igitur, ſumme Deus, quem propter beneficia optimum, propter vim ac poteſtatem maximum appellamus, quibus verbis gratias agam, non reperio. Innumerabilibus enim beneficiis, plurimisque vitae meae adiumentis et ornamentis addidiſti huius diei felicitatem et laetitiam, conciliato mihi ſummorum virorum fauore et patrocinio, mandato mihi exoptatiſſimo munere. Faue, o pater, huic beneficio tuo, perfice illud, atque ita ſemper hanc meam infirmitatem ſpiritus tui conſilio et ſapientia erige et confirma, vt gratus erga Regem, reipublicae vtilis, in hac litterarum vniuerſitate bonus et honeſtus ciuis,

 his

his honoribus nunquam non dignus videar et iudicer. Patere etiam, me, quae omnes conſpirantibus precibus exoptant, quae quotidie ad te faciam, nunc publice vota concipere. Tuere Georgium noſtrum, qui tuam in his terris perſonam ſuſtinet, eumque, pacato terra marique orbe, diu virtutum ſuarum gloria, diu votis noſtris, diu voluptate e ciuium ſuorum amore et ſalute percipienda, frui iube. Salus fortunaque Auguſta, qua noſtra continetur, ſalus Georgii, a quo tot ciuium ſeiuncta eſſe nequit, tibi ſit commendata. Serua etiam ſapientiſſimos, quos in conſilio habet, viros, benigno conſilio ad reipublicae fortunam ſtabiliendam et litteras fouendas nobis conceſſos, atque, quem clementiſſime Academiae huic donaſti, Munchhuſium, tantoque tuo muneri perpetuitatem adde. Complectere prouida cura totam hanc Academiam, quaeque illi hoſpitium praebet, vrbem, atque hanc dedicatam tibi ſapientiae bonaeque mentis officinam ita tuere, vt tu omnis ſapientiae origo es, illiusque ſtudio totum hominum genus fortunatum viuere cupis.

VI.

Libellus
de felici audacia Horatii.

Praefatio. Cum mihi nunc more inſtitutoque maiorum ſpecimen aliquod ingenii et doctrinae edendum ſit: neque inutilem rem neque a ſtudiis meis alienam facturus mihi eſſe videor, ſi poetices atque humanitatis ſtudioſos ad poetarum artes carminumque elegantias intelligendas examinandas-

dasque acuere ſtudeam. Sunt enim duae artis criticae partes. Altera, ſubtilior illa et quae plus laboris, quam oſtentationis, habet, in verbis conſtituendis atque vera locorum lectione confirmanda verſatur: altera, neſcio an nobilior illa, certe iucundior, ipſam poetarum artem examinat, de ingenio ſcriptoris iudicat, venuſtatem et elegantiam carminis explicat, ſententias, figuras et verba ad leges veri et recti iudicii exigit. Haec eſt illa ars, quae magis a natura donatur, quam doctrina et diligentia acquiritur, ſed quae polienda tamen eſt et conformanda doctrina et praeceptis, quam in multis, etſi hi altera illa bene inſtructi ſint, deſideramus, quae ſenſum pulchri et venuſti acuit, et quae merito laudatur commendaturque a Daniele Heinſio in *Ariſtarcho p. 685.* Etſi vero plurimi poetae ante oculos verſentur, animumque meum alliciant: nullius tamen in carminibus examinandis mearum virium periculum facere malo, quam in Horatii. Nam et ab ineunte aetate me huius inprimis poetae ſuauitas mirifice cepit et delectauit, et ſi viris quibusdam doctis (niſi fortaſſe illi nimis amanter de me iudicauerint) fides habenda, non infeliciter illum imitatus ſum. Certe me ſecutum hunc poetam, quantum diuerſitas ingeniorum, maximi et minimi, paſſa ſit, atque aemulatum eſſe, noui et fateor.

Ars critica duplex.

Iam cogitanti mihi varia criticorum de Horatio iudicia, et perpendenti egregias laudes, quibus certatim viri docti illum extulerint, probatur inprimis iudicium optimi dicendi magiſtri, Quintiliani. Hic enim in recenſendis Graecis et Latinis ſcriptoribus: *At Lyricorum*, dicit, *idem Horatius fere ſolus legi dignus. Nam et inſurgit aliquando et plenus eſt iucunditatis*

Quintiliani iudicium de Horatio.

et gratiae; et variis figuris et verbis feliciſſime audax. *Inſt. Orat. X. 1.* Elegans vero iudicium et praeclaro Quintiliani ingenio dignum! Sed videamus primum de verbis, deinde ipſam ſententiam copioſius explicemus.

Barthii emendatio. Diſplicuit vehementer in hoc loco Barthio verbum *aliquando*, nam in *commentario ad Statii Theb. X. v. 700.* indecoram et inſcitam Horatii laudem eſſe putat, *ſi aliquando inſurgat:* Quintilianum Horatium omnibus reliquis praeferentem, inſigni aliquo encomio eum vulgo et omnibus eximere debuiſſe: ſibi quidem Quintilianum ſcripſiſſe videri: nam *et aſſurgit aquilae modo et plenus &c.* Equidem, vt libere meam de hac Barthii coniectura ſententiam dicam, nihil malim, quam vt ea codicis alicuius auctoritate confirmetur. Eſt enim ingenioſiſſima, et pulchrum ſenſum efficit. Burmannus in animaduerſionibus ad Quintilianum, vt locum nulla emendatione egere oſtendat, ſic illum explicat: et inſurgere aliquando Horatium, ſi deos, Auguſtum, heroas et alios illuſtres viros canat, et aliquando tenuem eſſe, cum conuiuia virginum aliaque amoeniora memoret. Videtur vero mihi neſcio quomodo coacta, difficilis et intricata haec interpretatio. Quod ipſum Burmannum non ignoraſſe, inde apparet, quoniam in altero membro τὸ *aliquando* repetit, quod tantummodo ſemel a Quintiliano poſitum fuit. Miror etiam, quomodo τὸ *aquilae modo* tanquam a nemine dictum Burmannum offendere potuerit. Nam ſic ipſe Horatius, *IV, 2. ego apis Matinae more* modoque, et Tacitus *An. IV, 25. pecorum* modo *trahi, occidi, capi,* atque *Hiſt. IV, 15. vagos et pacis* modo *effuſos lixas*; et ſic ſaepius. Ipſe Horatius dum in opti-

optima illa atque ad verbum ediscenda epistola ad Pisones, quam vulgo *Artem poeticam* dicunt, poetae lyrici partes commemorat, sicut Quintilianus hoc loco, duplicem ei materiam subiectam esse docet.

Musa dedit fidibus diuos puerosque deorum,
Et pugilem victorem, et equum certamine primum,
Et iuuenum curas, et libera vina referre.

Haec sunt iucunditatis et gratiae, illa sublimitatis.

Porro audaciam et felicitatem saepe poetis et oratoribus a scriptoribus bonis tribui meminimus. Sic optat Lyricorum princeps, *Ol. IX.* ἔιην εὑρησιεπὴς ἀναγεῖσθαι πρόσφορος ἐν Μοισᾶν δίφρῳ· τόλμα δὲ καὶ ἀμφιλαφὴς δύναμις ἕσποιτο· atque *Ol. XIII.* ἔχω καλά τε φράσαι, τόλμα τέ μοι εὐθεῖα γλῶσσαν ὀρνύει λέγειν· et Longinus de Euripide aliquoties: *S.* 15. ὅμως ἑαυτὸν ὁ Ευριπίδης κἀκείνοις ὑπὸ φιλοτιμίας τοῖς κινδύνοις προσβιβάζει. - οὐ μὴν ἀλλὰ καὶ ταῖς ἄλλαις ἐπιτίθεσθαι φαντασίαις οὐκ ἄτολμος, et de Aeschylo, τοῦ δ' Αἰσχύλου φαντασίαις ἐπιτολμῶντος ἡρωϊκωτάταις, atque *S.* 28. legimus τόλμην μεταφορῶν et ἐι δεῖ παρακινδυνευτικώτερον λέξαι. Notante etiam Dacierio ad *IV*, 2. *Horat.* apud Eustathium διθυραμβικὸν θράσος occurrit. Atque ipse Horatius noster de Romanis suis Graecos imitantibus, *Epist. II.* 1, 166.

Audacia et felicitas saepe scriptoribus tributa.

Nam spirat tragicum satis et feliciter audet,

et *IV*, 2.

Seu per audaces *noua Dithyrambos*
Verba deuoluit.

Statius vero Capanei pugnam cum Ioue cantaturus, ſic incipit: *X, 824.*

Non mihi iam ſolito vatum de more canendum,
Maior ab Aoniis ſumenda audacia *lucis.*
Mecum omnes audete *Deae*,

et idem L. IV. Silv. c. 7. ad Maximum:

— — *Noſtra*
Thebais multa cruciata lima
Tentat audaci *fide Mantuanae*
gaudia famae.

Sic etiam Cicero *de Orat. III, 9.* Iſocratem ait Theopompum *exſultantem verborum* audacia *repreſſiſſe*, et in *Orat. 60. Nam et transferunt verba cum crebrius tum etiam* audacius. Denique Quint. de Aeſchine, *XII, 10. nonne his laetior et* audentior *et excelſior?* et *X, 5. nam et ſublimis ſpiritus attollere orationem poteſt et verba poetica libertate* audaciora. *IX, 2. Illa adhuc* audaciora, *et maiorum (vt Cicero exiſtimat) laterum, fictiones perſonarum. X, 1. Sed elatum abunde ſpiritum et* audaces *ſententias deprehendas etiam in iis etc. XI, 1. In iuuenibus etiam vberiora paullo et pene* periclitantia *feruntur:* et ibid. *Ipſum etiam eloquentiae genus alios aliud decet: Nam neque tam plenum et erectum, et* audax, *et praecultum ſenibus conuenerit, quam preſſum, et mite, et limatum,* add. Eumenii Paneg. in Conſtantium c. 8. *quanquam illa regio* - (vt cum verbi periculo loquar) *terra non eſt.* vide praeclare de his agentem beatum Geſnerum ad *Quintilian. II, 11, 3.* Hanc audaciam Pindaro plerumque tribuunt Critici. Ita enim praeter Tanaqu. Fabrum in vitis poet. Graec. p. 64. judicat Borrichius: *figurae eius, vt magnificae, ita aliquando dithyrambicae et praecipites. Haec audacia noſtris moribus inter vitia cenſetur, Pinda-*

rico

rico aeuo et ſuccedentibus illis ſeculis haud dubie inter virtutes numerata fuit. v. *diſſ. de poetis Graecis II, §. 60.* Felicitatem vero Quintilianus non ſemel in ſcriptoribus laudat. Sic *I, 5.* feliciores *fingendis nominibus Graeci: IX, 4.* Feliciſſimus *tamen ſermo eſt, cui et rectus ordo, et apta iunctura - - contingit: X, 1.* de Cicerone: *oratio prae ſe fert* feliciſſimam *facilitatem.*

Simili fere ratione extollit Horatium Petronius c. 118. et in eo *curioſam felicitatem obſeruat:* quo loco addit: *caeteri enim aut non viderunt viam, qua iretur ad carmen, aut viſam timuerunt calcare.* Nonne his docet, Horatium eminere audacia ingenii, reliquos autem nimio timore repreſſos, non potuiſſe eandem carminum vim et praeſtantiam aſſequi?

Horatii ingenium.

Duo igitur in Horatii carminibus Quintilianus laudat, iucunditatem et dulcedinem, atque nobilem quandam et audacem ſublimitatem. Atque etiam his duobus virtutibus ingenium noſtri poetae omnium ſibi admirationem et laudem conciliauit. Nam quod *III, 29.* de flumine dicit:

— — Caetera fluminis
Ritu feruntur, nunc medio alueo
Cum pace delabentis Etruscum
In mare, nunc lapides adeſos,
Stirpesque raptas, et pecus, et domos
Voluentis vna,

idem de ipſo dici poteſt. Modo enim lento et molli greſſu incedit; modo incaleſcit ſubito et ore profundo ruit. Vides eum nunc tanquam apem circa riuos et flores volitare, nunc vt aquilam magnis alis

in ſublime ferri. Modo dulcibus numeris et mollibus Leuconoem, Maecenatem, Telephum ad laetitiam excitat: modo amores ſuos et praelia virginum cantat: modo ſeueriori carmine optima virtutis praecepta tradit: modo abreptus, ſacro quodam ardore coelum petit, poſteritatem ſpectat, deos animo contemplatur, aeternitatem intuetur. Quae tum ſpiritus magnificentia! quae ſententiarum nobilitas! quae verba! quae ſigurae! Tum vero plenus ille magnarum rerum contemplatione animus, omnia humana contemnit, diuitias ſpernit, honorum titulos ridet, ipſius fortunae iram minasque negligit, atque cuncta infra ſe poſita eſſe exiſtimat. Tum proueniunt illae magnae, illae admirabiles ſententiae, quas cum legimus, ipſi incendimur amore virtutis, ipſi res humanas et fragiles ſpernimus, quidquid euenerit ſecuri, pectus conſtantia munimus, diuitias et opes oculo irretorto adſpicimus, atque eam lauram et coronam, quam ſapientia imponit, adhamamus. Hinc veriſſime et elegantiſſime Lipſius noſter de Horatio iudicat: *Horatio in lyricis merito illud Homericum dabimus: εἷς κοίρανος ἔστω. nemo illi proximus, nemo ſecundus*, *Quaeſit. Epiſt. II*, 20. Quas in ſingulis Graecorum poetarum admiramur, in noſtro coniunctas atque conſociatas videmus virtutes. Eſt in illius carminibus dulcedo Anacreontis, nobilitas Steſichori et Alcaei, ſublimitas et magnificentia Pindari, et vigor Sapphus. Neque tamen vt Sappho et Anacreon ſolum vinum et amorem, neque vt Pindarus ſolos victores, neque praelia tantummodo, vt Alcaeus, canit. Nam et magnorum virorum laudes, et amorem, et virtutis decus carminibus ſuis immortalitati conſecrauit. Praeterea in noſtro eſt profunditas ſine obſcuritate, ſimplicitas ſine negligentia, ele-

elegantia ſine affectatione, iucunditas ſine arte, copia ſine redundantia, ſublimitas ſine tumore. In ſententiis eſt nobilis et magnus: in figuris iucundus modo, modo audax: in verbis aptis, magnis et valde mouentibus deligendis, feliciſſimus. Haec quidem imago Horatii, haec indoles carminum illius eſſe videtur, quam in parua tabula depingere conati ſumus. Nam immenſas etiam regiones, immo totius orbis ambitum exigua charta ſaepe exhiberi videmus. Nunc dicamus de felici audacia poetarum in vniuerſum.

Audacia poetis neceſſaria, et quid ſit?

Poetas lyricos a reliquis ſublimitate ſententiarum verborumque ſplendore maxime differre, atque quo ſublimior quisque ſit, eo maiorem admirationem mereri, non opus eſt multis docere. Quod de alia re Terentius ait: *non fit ſine periculo facinus magnum et memorabile*, idem etiam de illis dici poteſt. *Non poteſt grande aliquid et ſupra caeteros loqui, niſi mota mens. Cum vulgaria et ſolita contemſit, inſtinctuque ſacro ſurrexit excelſior, tunc demum aliquid acinit grandius ore mortali. — Deſciſcat oportet a ſolito et efferatur et mordeat fraenos, et rectorem rapiat ſuum, eoque ferat, quo per ſe ipſum timuiſſet eſcendere:* optime dicit Seneca *de Tranquill. c.* 7. Non proferet ille admirabile aliquid, non componet aeternitate dignum carmen, qui vel natura timidiuſculus ſit, vel ſibi ipſe vim faciat, ardoremque reſtinguat. Humiles aliquos ſcribet verſiculos, tenues, omni vigore deſtitutos.

Serpit humi tutus nimium timidusque procellae.

Cui vero maior vigor eſt, cui mens diuinior, cui illud *os magna ſonaturum*, quod cui ſit, eum demum

Horatius poetae nomen mereri dicit, *S. I, 4, 44.* ille ſe altius tollit, relinquit humum, praecipitia adit

Viamque affectat olympo.

Recordatur ille nobiliſſimam Senecae ſententiam: *Humilis et inertis eſt tuta ſectari, per alta virtus it. de Prov. c. 5.* Inde etiam Boilauius malle ſe ait Pindari audaciam imitatum, quaſi Icarum aliquem, labi, quam cum Perralto humi ſerpere. Verſus notiſſimi ſunt.

Iam ſi animus poetae contemplatione alicuius rei vehementer mouetur, ſi vel laetitia excitatur, vel dolore percellitur, vel ira exacerbatur, vel admiratione impletur, tum vero verba non diu et anxie quaerit et ſententias, quibus ſenſum animi exprimat. Vulgaria verba illi non ſufficiunt, ad res magnas exhauriendas, inde non tam ex legibus linguae loquitur, quam potius, ſicut animus ardens et viuidum ingenium dicere iubet. Eleganter Seneca, *vbi ſe animus*, dicit, *cogitationis magnitudine beauit, ambitioſus in verba eſt, altiusque vt ſpirare, ita eloqui geſtit, et ad digniiatem rerum exit oratio: oblitus tum legis preſſiorisque iudicii, ſublimis feror et ore iam non meo; de Tranquill. c. 1.* Haec vltima verba pingunt nobis quaſi poetam, qui ſibi ipſe amplius imperare nequeat, qui iam non ſuus ſit, ſed quodcunque ingenium dictet, eloquatur aut ſcribat. Maiorem ſe tum putat, quam qui legibus Grammaticorum aut Philoſophorum adſtringi poſſit:

Iura negat ſibi nata, nihil non arrogat:

audacter progreditur, noua verba fingit, communia et vulgaria transfert, rebus ſenſu carentibus actum et animos dat, a recepto verba collocandi ordine recedit,

dit, dat vela irae, dat indignationi, dat dolori: tum
totum ſpirant praecordia Phoebum.

Ipſe ſentiens ardorem, et conſcius ſibi coeleſtis huius vigoris, ſibi temperare nequit: exclamat cum optimo poeta:

Dicam inſigne, recens, adhuc
Indictum ore alio — —
Nil paruum aut humili modo,
Nil mortale loquar:

nos audaces figuras, nobiles comparationes, abruptas ſententias, verba grauia, plena, ſonantia, translata, grandia, quae ex inflammato tantum pectore prouenire poſſint, videmus coniuncta. Tum vero iure acclamari debet: Deus ecce Deus! tum exiſtit carmen, in quo exhorreſcimus, quod ſtupefacti legimus aut audimus, in quo exclamamus, cuius auctorem deum, vt ita dicam, inter homines putamus. Quod Cauſſinus in *Eloquent. ſacr. et humana l. I, c. 22.* de Platone dicit, optime ad talem poetam transferetur: *Aquilam diceres, quae ſupra niues, pluuias et grandines, ſupra nubes et tonitrua, et ſupra id omne, quod mortale eſt, pennarum remigiis euecta, in illo puriori aethere ſuſpenſa conquieſcit, et nunc ſolem defixis intuetur oculis, nunc ad Iouis alludit fulmina.* Haec nobilis audacia poetis et oratoribus commendatur a Plinio *L. IX, ep. 26.* quae epiſtola bonae frugis pleniſſima eſt et e qua praecipua excerpamus: *nihil peccat, niſi quod nihil peccat: debet enim orator erigi, attolli, interdum etiam efferueſcere, efferri ac ſaepe accedere ad praeceps. Nam plerumque altis et excelſis adiacent abrupta: tutius per plana, ſed humilius et depreſſius iter: — Nam vt quasdam artes, ita eloquentiam nihil magis, quam ancipitia commendant. — Sunt enim maxime mirabilia, quae ma-*

xime

xime inſperata, maxime periculoſa vtque Graeci magis exprimunt παράβολα. His Plinii verbis noſtram de hac re diſputationem egregie illuſtrari arbitror.

Verum eſt haec audacia maxime periculoſa. Nam ſcriptor aut ob puſillum animum ſublimitatem aſſequi nequit, aut altius progreditur, quam par eſt. Nihil eſt difficilius, quam vere ſublimem eſſe. Non ſemel hoc monuit Longinus, quem audiamus. (quis enim eo melius rectiusque de ſublimitate iudicat?) Hic vero *S. 3.* dicit, *ὅλως δ' ἔοικεν εἶναι τὸ οἰδεῖν, ἐν τοῖς μάλιστα, δυσφυλακτότατον*, et *S. 29.* monet, *τὰ μεγάλα ἐπισφαλῆ δι' αὐτὸ γίνεσθαι τὸ μέγεθος.* Sunt vitia, in quae ſcriptor audax et ſublimitatem affectans facillime poteſt incidere. Vicinum eſt ſublimitati *τὸ μειρακιῶδες*, vicina *ἡ ψυχρότης*, vicinus *ὁ παρένθυρσος*, de quibus, quoniam iam Longinus in *S. 2.* doctiſſime diſputauit, non opus eſt quidquam addere, Nam qui accuratius haec orationis vitia cognoſcere cupiant, petant hanc doctrinam ex vberrimo illo et limpidiſſimo fonte. Poeta igitur primum naturam in tribuendis animi dotibus fautricem nactus ſit, atque ab illa motus, illos ingenii et ad excogitandum celeres et ad explicandam vberes acceperit, oportet. Haec illi donauerit, neceſſe eſt, quaſi alas, quibus ſe humo tollere, atque alta petere valeat: haec ei dederit animum nobilem et magnarum cogitationum capacem. Ad eximiam hanc et illuſtrem naturam accedat ratio quaedam conformatioque doctrinae. Veriſſime enim Longinus in *S. 2.* docet: *ὅτι ἡ φύσις, ὥσπερ τὰ πολλὰ ἐν τοῖς παθητικοῖς καὶ διηρμένοις αὐτόνομον, οὕτως οὐκ εἰκαῖόν τι κἀκ παντὸς ἀμέθοδον εἶναι φιλεῖ*, quae ſententia doctiſſimorum viro-

virorum auctoritatibus confirmatur. vid. Langbaine ad *Long. p. 29.* Nota ſunt aurea verba noſtri:

> *— Ego nec ſtudium ſine diuite vena,*
> *Nec rude quid poſſit video ingenium: alterius ſic*
> *Altera poſcit opem res et coniurat amice.*

Natura dat animum, qui attenta alicuius rei contemplatione facile moueatur, inardeſcat et deinde grandia et ſublimia cogitet, eaque audacter eloquatur. Doctrina vero fines praeſcribit, quos ſi egrediamur, peccamus, oſtendit vitia, a quibus nobis caueamus, viam docet, quam inire debeamus. Eſt igitur attentione opus, ne nimium indulgeamus ingenio, vt temperemus calori, quantum liceat, vt, quamuis poetice, humane tamen etiam loquamur. Sed quidni, totam rem Longini verbis explicemus? Non poenitet certe memorabilem locum ex *S. 2.* adſcribere, e quo, quam audaciam felicem dicere debeamus, optime apparebit. Eſt vero locus hic: *ὡς ἐπικινδυνότερα αὐτὰ ἐφ' ἑαυτῶν δίχα ἐπιστήμης ἀστήρικτα καὶ ἀνερμάτιστα ἐαθέντα, οὕτω τὰ μεγάλα ἐπὶ μόνῃ τῇ φορᾷ καὶ ἀμαθεῖ τόλμῃ λειπόμενα. δεῖ γὰρ αὐτοῖς, ὡς κέντρου πολλάκις, οὕτω δὴ καὶ χαλινοῦ. Ὅπερ γὰρ ὁ Δημοσθένης ἐπὶ τοῦ κοινοῦ τῶν ἀνθρώπων ἀποφαίνεται βίου, μέγιστον μὲν εἶναι τῶν ἀγαθῶν τὸ εὐτυχεῖν. δεύτερον δὲ καὶ οὐκ ἔλαττον, τὸ εὖ βουλεύεσθαι, ὅπερ οἷς ἂν μὴ παρῇ, συναναιρεῖ πάντως καὶ θάτερον, τοῦτ' ἂν καὶ ἐπὶ τῶν λόγων εἴποιμεν κ. λ.* Quem igitur feliciter audacem dicemus? nempe eum, qui cum a natura optimo ingenio inſtructus, tum doctrina conformatus, in magnis et ſublimibus ſententiis proferendis, in figuris audacibus excogitandis, in verbis fingendis audacter et ordinandis, ita verſetur, vt vitia his virtutibus oppoſita feliciter euitet.

Quae

Quae iam de felici audacia poetarum in vniuersum diximus, nunc ad Horatium transferamus. Etsi vero Quintilianus, nostrum tantum *variis figuris et verbis felicissime audacem* esse, dicat, nobis tamen haec audacia multo latius extendenda, atque in tota Horatii poesi quaerenda esse videtur. Dicemus igitur primum de ipso carminum genere, audacter a nostro e Graecia in Latium translato, atque audaci, qua in scribendis multis versatus est, ratione: deinde audaces sententias excerpemus et explicabimus: vbi etiam de imaginibus, quas vocant, agemus: denique quae in ipsa elocutione sit audacia, exponemus.

Instituti ratio.

Horatius et Lyricorum Latinorum primus, et in Lyricis carminibus scribendis audacter versatus est.

Atque primum quidem in ipso carminum genere, quod elegit Horatius, nobilis audacia apparet. Magnum est aliquid, magnorumque et nobilium ingeniorum proprium, non aliorum vestigia premere, non trita via incedere, non leges accipere, sed dare aliis. His illud poetae perpetuo ante oculos versatur:

Iuuat ire iugis, qua nulla priorum
Castalium molli deuertitur orbita cliuo.

Iam nullum diuinae poetices genus neglectum magis est a Romanis, ex quo se ad imitationem Graecorum dederunt, quam lyricum. Inde vsque a primo bellico Punico (nam hoc erat illud tempus, quo se litteris dederunt: *post Punica bella quietus quaerere coepit, quid Sophocles et Thespis et Aeschylus vtile ferrent*, aut vt Porcius Licinius apud *Gellium N. A. XVII, cap. extr.* dicit: *Poenico bello secundo, Musa pinnato gradu intulit sese bellicosam in Romuli gen-*

tem feram.) vsque ad Augusti seculum nullum probabilem habuerunt poetam lyricum, nisi fortasse Salios velis poetas lyricos appellare, qui *canentes carmina*, vt Liuius ait, *I*, *20. cum tripudiis solemnique saltatu* per vrbem ibant, et de quibus Quintilianus Inst. Orat. I, 10. *Versus quoque saliorum habent carmen*, aut huc ea carmina referre, quae de virtutibus clarorum virorum ad tibicinis modos in epulis cantabant. Nam sic Varro apud *Non. II*, *70. v. Assa. In conuiuiis pueri modesti vt cantarent carmina antiqua*, *in quibus laudes erant maiorum*, *et assa voce et cum tibicine.* add. Cicer. *Tusc. Quaest. I*, *2.* et *IV*, *2.* atque Valer. Max. *II*, *1.* Catulli enim nullam prope in hoc carminum genere rationem habendam esse, arbitror. Primum pauca scripsit carmina lyrica, et deinde, quemadmodum vnum totum e Graeco Sapphus in Latinum sermonem transtulit, ita etiam tria reliqua aut Sapphici sunt generis, aut non eiusdem cum Horatianis indolis. Tandem vero aureo illo Augusti seculo exstitit is, qui felicissimo ingenio instructus Graecorumque poetarum lectione nutritus et excitatus, vulgarem viam deseruit:

Pindarici fontis qui non expalluit haustum.

Hic Alcaei carminibus delectatus, hoc carminum genus Romam transtulit, princeps lyricorum Latinorum et primus. Hunc

Iuuat integros accedere fontes
Atque haurire: iuuatque nouos decerpere flores,
Insignemque suo capiti petere inde coronam.

Raro accidit, vt, qui primus aliquid incipiat, ei haec res feliciter succedat: rarius vero eundem et incipere et perficere rem videmus. Noster autem incepit atque perfecit etiam. Quare non semel gloriatur, se primum Graecorum modos Romanos docuisse, Latio-

que

que intulisse: Sic ait *III, 30. Dicar — princeps Aeolium carmen ad Italos deduxisse modos: IV, 9. Non ante vulgatas per artes verba loquor, socianda chordis: VI, 6. Spiritum Phoebus mihi, Phoebus artem carminis nomenque dedit poetae;* et *docilis modorum vatis Horati: IV, 4. Quod monstror digito praetereuntium Romanae fidicen lyrae: II, 16. Spiritum Graiae tenuem camoenae Parca non mendax dedit.* Neque mirari aut indignari quisquam debet, saepius gloriatum esse de hac re poetam. Nam et cuiuis nouarum rerum inuentori hoc licere arbitror, et noster non ignorare poterat, non solum quantam rem suscepisset, sed quam feliciter etiam eandem perfecisset.

Cur Latini paucos habuerint poetas lyricos?

Hic vero saepius miratus sum, cum Horatius Romanis suis praeclarissimum, quod imitarentur, proposuerit exemplum, paucissimos tamen fuisse poetas lyricos. Peruenerunt ad nos vix nomina, nedum carmina eorum (si pauca Statii exceperis) atque si attente varia loca Quintiliani consideramus, vix plures quatuor lyricis Latium habuisse videtur. Nonne vero miretur aliquis, tanto temporis spatio, populum et magno nobilique animo praeditum et ea lingua vsum, cui neque magnificentia, neque dulcedo deesset, tam paucos ostentare posse poetas lyricos? Mihi vero in hanc causam saepe inquirenti, videtur illa, si a perpetua in omnibus et maligna fati lege discesserim, vt ad summum perducta rursus ad infimum relabantur, praesertim ab exstincta libertate, repetenda esse.

Seruitus ingenia opprimit.

Libertas profecto summa semper ingenia protulit, seruitus depressit. Illa nobis Demosthenem, illa Ciceronem dedit:

dedit: haec multa fortaſſe ingenia, quae ad illorum laudem perueniſſent, exſtinxit. Liber animus et ingenuus neſcio quomodo attollitur ſemper: nobiliores ſententias parit, atque eiusmodi opera edit, quae non imitari, ſed admirari poſſis. Seruitus ſenſim homines ad adulationem et timorem adducit, quae vbi vitia ſemel animum occupauerunt, tum ille iacet, tum nihil magnum et admirabile profert. Praeclara eſt de hac re Philoſophi cuiusdam ſententia apud Longinum in *cap. extr.* ὡς ἡ δημοκρατία τῶν μεγάλων ἀγαθὴ τιθηνὸς, ᾗ μόνῃ σχεδὸν καὶ συνήκμασαν οἱ περὶ λόγους δεινοὶ καὶ συναπέθανον. Θρέψαι τε γὰρ, φασὶν, ἱκανὴ τὰ φρονήματα τῶν μεγαλοφρόνων ἡ ἐλευθερία καὶ ἐφελκύσαι κ. λ. Atque etiam ipſe Plinius, non recordatus tum, ſe quoque non liberum eſſe, ſe quoque magis egregium adulatorem, quam verum oratorem et praeconem laudum Traiani ſui eſſe, *L. VIII*, *ep. 14.* ingenia *hebetata*, *fracta*, *et contuſa* eſſe ait, ſublata e medio dicendi libertate. Nam quanquam natura nunquam ſterilis eſt, ſed ſemper ſe munificam, ſemper liberalem in dotibus tribuendis atque in formandis ingeniis benignam praebet: tamen ſi quando egregium ingenium exiſtit, primum non libere, quae ſentiat, loquitur, mox ad adulationem, blanditias, aſſentationem delabitur. Hac labe infectus animus nihil egregium parit. Non extinguuntur quidem indita a natura ſemina, ſed corrumpuntur tamen: ideoque homines potius μεγαλοφυεῖς κόλακες, vt Longinus dicit, quam nobiles poetae et magnifici oratores fiunt. Cogita ſcriptores illos, qui ſub Caeſaribus vixerunt, et me vera dixiſſe inuenies. At, inquies, ipſe tuus Horatius, quem principem poetarum exiſtimas, cui magnum et generoſum animum tribuis, nonne ſub Auguſto vixit?

Auguſtus dicendi libertatem non ſuſtulit.

Non ignoro, verum idem etiam ſcio, eum fuiſſe Auguſtum principem, cuius de duritie aut fera natura non queri debebant viri docti et poetae, quorum conſuetudine et amicitia delectabatur. Nonne Noſter in eodem carmine, quo Auguſtum laudat, *I, 12. Tarquini ſuperbos faſces* et *Catonis nobile lethum* memorat? (Nam Bentleianum *anne Curti nobile lethum* auctori ſuo relinquemus) nonne potius debebat ſedulo effugere nomen viri, qui libertatem Romanam vsque ad vitae finem defenderat, et liber vixerat, mortuus erat liber. vid. Gesnerus, heu! non noſter, in *Addend. ad Horat. p. 637.* Eadem libertate poeta *II, 13. exactos tyrannos* nominat. Sed in viam redeamus. Neque enim ſolum primus Romanorum lyrica carmina ſcripſit, ſed ad imitationem Alcaei aliorumque Graecorum adhibuit etiam in iis magna cum audacia licentiam omnem, lyricis prae aliis poetis conceſſam. Nam et abrupta amat initia, et longius euagatur, et ſumma celeritate a propoſita re ad aliam tranſit, et a communi et recepto collocandorum verborum ordine recedit. Videamus de ſingulis.

In ipſis carminibus lyricis ineſt audacia.

I. Abrupta carminum initia.

Lyricum poetam non eo, quo orator aut Philoſophus, ordine procedere, nec ſenſim praeparare animum lectoris, ſiue auditoris, ad ea, quae dicturus eſt, nemini mirum videri debet. Poeta aut gaudio elatus, aut dolore, aut ira, aut amore excitatus, diutius illum igneum vigorem compeſcere nequit. Arripit lyram, nec quaerens verba, quibus ordiatur carmen, non ſollicitus, quam formulam primo loco ponat, quodcun-

cunque ii, quibus excitatur, motus verbum ſuggerunt, eloquitur. Quo vehementiores igitur illi ſunt, eo vehementius erit carminis initium: quo illi leniores et molliores, eo dulcius leniusque hoc. Poſſis illum vehementiori animi motu accenſum comparare cum fluuio, qui grauiter intumeſcens ſumma vi aggerem diſrumpit. Non aliter enim ille incenſus ardentia verba effundit: non aliter vis, non iam amplius comprimenda, e pectore erumpit. Sic poeta admiratus egregia facta Auguſti, atque plenus hac cogitatione, Auguſtique magnitudine excitatus ſibi a Baccho abripi videtur. *III, 25.* Hoc oeſtro percitus exclamat: *Quo me Bacche rapis tui plenum?* Atque etiam alio tempore, quaſi plenus numine, eundem deum, quem etiam muſices deum antiquitas eſſe voluit, ſibi videtur in remotis rupibus vidiſſe. Obſtupefactus hac re animus et recens ab auguſto ſpectaculo tranquillitatem omnem abiicit, ſtatimque erumpit: *Bacchum in remotis carmina rupibus Vidi docentem: II, 19.* mox rem tam magnam elocutus atque rara hominis felicitate commemorata, ad ipſam poſteritatem conuertitur, eamque alloquitur: *credite poſteri;* ſtatim ad Bacchum redit, cuius numen ſentit: *Euoe, recenti mens trepidat metu:* ſed nondum quietus, nondum illum furorem pectore demittens vehementem, dicit: *Euoe! parce Liber, parce.* Incidunt ſaepe tempora et feliciſſima quaedam momenta, quibus facillime animus poetae inflammatur, quibus videre credit, quae nullus alius, immo quae ipſe alio tempore quietus videre nequit. Hac ſi temporis opportunitate poeta vtitur, non poteſt non magnificum aliquid et nobile prouenire. Conferat lector cum duobus his Horatii carminibus hymnum Callimachi *in lauacrum Palladis* et *in Apollinem*, vbi eo-

dem calore incenſus eſſe videtur. Qualia enim videntur haec?

> Οἷον ὁ τὠπόλλωνος ἐσείσατο δάφνιος ὅρπηξ,
> Οἷα δʼ ὅλον μέλαθρον. ἑκὰς, ἑκὰς ὅςις ἀλιτρὸς.
> Καὶ δὴ πȣ τὰ θύρετρα καλῷ ποδὶ Φοῖβος ἀράσσει.
> Οὐχ ὁράας; — ὁ γὰρ θεὸς ȣ̓κέτι μακρὰν.

Tranſeamus ad alia. Quintilius mortuus erat. Horatius, audita morte, conſiderat, quantam iacturam fecerit, reputat, quantum amicum amiſerit. Videt ſibi virum iuſtum, veritatis ſtudioſum et fidum obiiſſe. Hac cogitatione plenus incipit: *Quis deſiderio ſit pudor aut modus Tam chari capitis. I, 24.* Si breuitatem vitae conſiderat, et cuiuis moriendum eſſe videt, graue et queribundum ponit verbum: *Eheu fugaces, Poſthume, Poſthume, Labuntur anni, II, 14.* Vbi etiam repetitioni verbi, *Poſthume*, magna vis ineſt, ſed quae ſentiri magis, quam explicari poteſt. At vbi poſt Actiacam Auguſti victoriam plenus gaudii atque laetitiae quaſi exſultat, alloquitur ſodales: *Nunc eſt bibendum, nunc etc. I, 37.* Similiter Alcaeus *p. 14. (edit. Stephan. a. 1600.* qua editione lyricorum poetarum in hoc libello ſcribendo vſi ſumus.) Πίνωμεν. τί τὸν λύχνον ἀμμένομεν. et ibidem: Νῦν χρὴ μεθύσκειν καὶ τινα πρὸς βίαν πίνειν, atque Anacreon, *p. 174.* Ἱλαροὶ πίωμεν οἶνον, Ἀναμέλψομεν δὲ Βάκχον. Vbi porro Auguſti res geſtas atque de Romano populo merita intuetur, tanta haec eſſe videt, vt nulli honores, nulla eis digna praemia decerni atque excogitari poſſint. Admirabundus igitur quaerit: *Quae cura Patrum, quaeue Quiritium Plenis honorum muneribus etc. IV, 14.* Quando ſe iam pertaeſum amorum, iam ea aetate virum, quae luſus renuat, tamen amore tentari ſentit, quaſi et miretur

et

et timeat, canit: *Intermiſſa diu Venus Rurſus bella moues? parce, precor, precor, etc. IV, 1.* quod eleganter imitatus eſt molliſſimus poeta, Marullus, *p. 56.*

Quo me ſaeue rapis puer?
Intermiſſa diu bella iterum moues
Et truces renouas minas? etc.

Vnde vero animus laetus et ſimul inimiciſſimus magis apparet, quam e carmine, quo Lycen, vetulam meretricem, irridet? *IV, 13.* *Audiuere, Lyce, Di mea vota, Di Audiuere, Lyce, fis anus et tamen Vis formoſa videri etc.* Haec profecto ipſius laetitiae verba ſunt. Videt Horatius eam Lycen, a qua olim ſpretus erat, et cui vindictam et poenam imprecatus erat, vetulam. Abiit venuſtas et pulchritudo priſtina, et, quod peius eſt, ea deformis et vetula Lyce more tamen puellarum laſciuit. Laetatur poeta, deos preces ſuas audiuiſſe: hoc illi primum in mentem venit, hoc primum eloquitur: neque ſemel dicit, ſed, quod, quando nimium laetamur, facimus, eadem verba repetit: et denique duobus verbis omnem laetitiae ſuae cauſam exprimit: *fis anus.* Magna eſt huius loci pulchritudo. Denique cum omnia bello ciuili et inteſtino arderent, cum Cleopatra et Antonius omnia miſcerent, indignabundus et iratus poeta in populum Romanum vehementer inuehitur. *Epod. 7.* Videtur ſibi totum Romanum populum praeſentem, gladios vagina extrahentem atque ruentem in bella, in praelia, videre. Quid igitur poeta? num mollire conatur ciuium furorem leni oratione? num placido dicendi genere vtitur? immo vero vehementiſſimo. *Quo, quo, ſceleſti, ruitis? aut cur dexteris aptantur enſes conditi? etc.* Hic primum magna eſt vis interrogationis, et maior

etiam repetiti *Quo*, *quo?* maxima vero verbi, *ſceleſti.* Nihil praeceſſerat, nulla increpatio, nulla accuſatio: repente e pectore poetae erumpit veriſſima vox: *ſceleſti:* in mediam rem lectorem adducit: nos ipſi populum furibundum et tumultuantem cernimus et acclamamus: *Quo quo ſceleſti?* Admirabile profecto totum eſt carmen et ſummo ardore conſcriptum. Sic vbi multum populum interrogauit, tandem non tam verba fundit, ſed fulmina vibrat. Totus populus poetam audire videtur: hic quaerit: *Furorne coecus, an rapit vis acrior? An culpa? reſponſum date.* Attende repetitionem verbi *an*, quae orationis vehementiam auget: attende imperatoriam et nobilem breuitatem: *reſponſum date.* Quid populus? quid reſpondet? *Tacent: et ora pallor albus inficit, mentesque perculſae ſtupent.* Hic primum audaciam poetae nota, qui populum Romanum circumſtantem atque illam accuſationem audientem fingit. Deinde hoc ſilentium, hic pallor et ſtupor quam admirabilem vim habent! Conſcientia ſceleris percellit ac perturbat animos: ne verbum quidem proferre valent: non audent ſe defendere: immo pallent, quemadmodum ſceleſti ſolent, et ſtupent: hoc ſilentio, pallore, et ſtupore ſcelus ſuum fatentur. Silentium vero quauis eloquentia ſaepe ſuperius eſſe non ignorabunt, qui e Longini doctrina de virtutibus ſcriptorum iudicare didicerunt. (vid. *Sect. IX.*) Addamus etiam hoc. Vix facta hac territi populi deſcriptione, poeta eum relinquit: non cum eo loqui pergit: ſed inciſo quaſi filo orationis breuibus addit, Remum mortem ſuam vlciſci. *Sic eſt, acerba fata Romanos agunt. etc.* Longius in hoc loco morati ſumus, quam nobis initio erat propoſitum. Sed retinuit nos ſumma huius carminis praeſtantia, quam ſicut

ſicut nos primos obſeruaſſe laetamur, ita aliis explicare voluimus. Praeterea non opus iudicamus, reliqua exempla copioſius exponere. Digito tantum praecipua oſtendere lubet. Euoluant igitur poetices ſtudioſi *I*, *8. 32. II*, *13. 17. III*, *20. 28. Epod. 5. 8. 9. 17.* Haec vero inexſpectata et abrupta orationis initia proueniunt, vt Longinus ait: *τῆς ἐκβολῆς τοῦ δαιμονίου πνεύματος ὁρμῇ, ἣν ὑπὸ νόμον τάξαι δύσκολον.*

II. Longae digreſſiones.

Altera pars audaciae in ſcribendo carmine lyrico eſt, quod poeta ſaepe propoſitam rem relinquere videtur; de rebus, quae ad argumentum non pertinent, multa verba facit: longius euagatur, deſcriptiones et imagines coniunctas quidem aliquo modo cum materia, ſed non neceſſitudine propiori, intexit. Exemplis rem illuſtrabimus. Horatius *I*, *9.* Thaliarchum aliquem ad laetitiam adhortatur, additque *Permitte diuis caetera.* Hic deſinere poterat poeta. Ad ſenſum nihil requirebatur amplius. Poetae vero viuidum ingenium, dum deos cogitat, ſtatim deſcriptionem aliquam immenſae poteſtatis deorum praebet: *qui ſimul ſtrauere ventos aequore feruido depraeliantes*, *nec cupreſſi nec veteres agitantur orni.* Malumus enim hunc locum ſic interpretari, quam cum Dacierio myſteria neſcio quae quaerere. Nam quod hic dicit, irridere Flaccum doctrinam Stoicorum, qui deos vel minutiſſimarum rerum curam agere putarent, mihi non probatur. In ſermonibus et epiſtolis, non in carmine eoque laetioris argumenti, in Stoicos ſatyram quaero. Et quid, vbi omnia facillima ſunt, ipſa difficultates excogitem? Sed multi, qui poetae noſtri interpretationem aggreſſi ſunt, ſaepe nodum quae-

runt in ſcirpo, et allegorias, Philoſophiam Stoicam et Epicuream ſomniant, vbi nihil opus eſt, ſimiles illius, qui in Homeri carminibus Chymiam latere ſibi aliisque perſuadere voluit. Nobis ſententia huius loci videtur eſſe haec: Dei mari et vento imperant: ſi iubent, tum omnia tranquilla et quieta ſunt, vt Virgilius de Neptuno dicit: *Haec ait, et dicto citius tumida aequora placat.* Idem peccatum commiſiſſe nobis videtur Dacierius ad *I, 34.* vbi magnificos verſus: *Quo bruta tellus — concutitur:* ad Stoicorum ſententias irridendas a poeta poſitos eſſe dicit. Sed illuc redeamus, vnde digreſſi ſumus, *I, 2.* vbi diluuii Deucalionis mentionem facit, per quinque verſus illud deſcribit: *Piſcium et ſumma genus haeſit vlmo etc.* vbi vetus Scholiaſtes notat: *Leuiter in re tam atroci et piſcium et palumborum meminit, niſi quod hi exceſſus lyricis conceſſi ſint.* Sic *I, 34.* vbi currum Iouis memorat; *I, 22.* vbi lupum, qui ipſi pepercerat, nominat: *IV, 2.* vbi ſe recepto Caeſare vitulum immolaturum eſſe dicit, omnia haec per tres pluresue verſus deſcribit. Porro *IV, 4.* comparat Druſum cum aquila, et cum ſatis fuiſſet, illa tantum poſuiſſe: *miniſtrum fulminis alitem:* vagatur tamen latius, additque: *Cui rex deorum regnum in aues vagas Permiſit etc.* De aquila ſimiliter, vt Horatius, Callimachus *hymn. in Iou. v. 68.* θήκαο δ' οἰωνόν μεν ὑπείροχον ἀγγελώτην Σῶν τεράων, et *Aeſchylus in Prometh. 1020.* Διὸς δέ τοι πτηνὸς κύων δαφοινὸς ἀιετός, et Pindarus *Pyth. I.* ἀρχὸς οἰωνῶν, *III, 17.* poſtquam Lamiam allocutus eſt: *Aeli vetuſto nobilis ab Lamo:* per octo verſus euagatur, maioresque Lamiae commemorat: *Quando et priores etc.* quos verſus non reſecare debebant nimis delicati homines; non profecto magis, quam *IV, 4. 18.* vbi cum Vindeli-

delicos nominat, addit ſe neſcire, vnde dextra ſecurim geſtent: *Quibus mos vnde deductus etc.* Huc etiam referatur: *III*, *4. 60.* deſcriptio Apollinis: *I*, *7.* oratio Teucri *III*, *4.* deſcriptio victoriae, quam dei a gigantibus reportauerunt: *I*, *16.* commemoratio malorum, quae ab ira oriantur, atque orationes *III*, *5.* Reguli, et *III*, *11.* Hypermneſtrae ad Lynceum ſuum: talis etiam eſt *III*, *27.* hiſtoria Europae et *I*, *3.* exſecratio primae nauis inuentoris. Eſt vero haec noſtra obſeruatio neceſſaria et perutilis ad aliquot loca Horatii a Criticorum quorundam importunitate defendenda.

III. Saltus in carmine ab alia re ad aliam.

Porro quando animus poetae inflammatus eſt, incredibile eſt, quot res ſimul in mentem veniant. Iam prae feſtinatione nequit omnia, quae in animo verſantur, exprimere, atque, omiſſis multis, praecipua tantum eloquitur, reliqua tacet. Sunt quidem ſententiae illae inter ſe coniunctae, ſed vincula, vt ita dicam, quibus connectantur, non apparent. Facile tamen lector, qui poetico ingenio inſtructus eſt, ea, quae poeta omiſit, aſſequitur. Ita etiam Horatius (noluit enim methodo mathematica, aut, quod pulchrius, *ſcientifica*, ſcribere hic philoſophus et magnus quidem, licet eheu! nullum compendiolum ſcripſerit, philoſophus) ille igitur ſaepe ab aliqua re ad aliam tam celeriter tranſit, nulla vt inter ſententias coniunctio eſſe videatur. Quam tamen, ſi recte attendimus, facile inuenimus. Videtur poeta propoſitam rem relinquere velle, et nouum carmen ordiri. At ſi accuratius rem tecum conſideres, optimus ordo, nempe talis ordo, qui in inflammati poteſt poetae animum cadere, adeſt. Sic. *I*, *7.* poſt-

quam varias vrbes memorauerat, easque dixerat aliis, non ſibi placere, addit tandem, nullum ſibi locum magis arridere, quam villam Tiburtinam: *Quam domus Albuneae reſonantis. Et praeceps Anio et Tiburni lucus et vda Mobilibus pomaria riuis.* Nunc vero vide ſaltum poetae! *Albus vt obſcuro deterget nubila coelo Saepe notus: Sic tu ſapiens finire memento Triſtitiam vitaeque labores Molli, Plance, mero.* Nulla videtur eſſe huius ſententiae cum praecedenti coniunctio, atque etiam nouum hic carmen quidam incipiunt. Verum omnia bene cohaerent. Tu, mi Plance, ait poeta, in exilium abire vis, teque in Graeciam conferre? Crede, neque Rhodos, neque Mytilene, neque aliae vrbes tantas ſuauitates habent, quantas Tiburtina tua villa. Hic igitur maneas, velim, atque curas et aegritudines vino pellas. Nam quemadmodum notus non ſemper pluuius eſt, ſed coelum etiam ſerenat, ſic quoque etc. Hic quidem ordo eſt ſententiarum, quem ſecutus fuiſſet Horatius, ſi epiſtolam ſcripſiſſet aut orationem. Verum lyricus poeta has leges reiicit liberiusque exſultat. Longum foret, pluribus exemplis hoc illuſtrare, praeſertim cum, niſi totum carmen perlegamus, res recte intelligi nequeat. Notabimus igitur loca. *II, 16.* inter *v. 16.* et 17. et *v. 27. 29. III, 1. 17. III, 3. III, 5. 5.* et 27. *III, 29. 29. 49. III, 4. 35. etc.* Huc etiam refer *III, 5.* vbi Regulus (nam antea poeta locutus eſt,) praeter opinionem, ipſe nobilem orationem pronunciat, ad quem locum vide Dacierium. add. III, 2. *illum ex moenibus hoſticis Matrona etc.* Transeamus ad reliqua.

IV. Turbatus verborum ordo.

Meminimus enim, nos ſupra in iis, quae felicem Horatii in contexendis carminibus lyricis audaciam indi-

cent

cent, etiam ponere turbatum verborum ordinem, de quo praeclara ſunt, quae monet Longinus in *S. 29.* Turbatus animus cogitationes ſuas fruſtra eo ordine proferre laborat, quem leges Grammaticae poſtulant. Quotidie in iis, qui aut irati, aut laeti, aut triſtes ſunt, animaduertimus, eos verborum ordinem ſaepe negligere atque inuertere. Ita etiam Lyrici poetae. Illuſtre exemplum eſt apud noſtrum *IV, 15. Phoebus volentem praelia me loqui Victas et vrbes increpuit lyra.* Nam verborum ordo eſt: Phoebus me, volentem lyra loqui praelia et victas vrbes, increpuit. Interpretatio atque explicatio Dacierii valde iucunda eſt. In verſione poſuit: *Apollon me donna vn coup de ſa lire*, atque ſuauius etiam in notis: *Apollon lui donna vn coup avec ſa lire, et ce coup etoit pour le rendre attentif à ce, qu'il lui diſoit.* Nempe Apollo, tanquam moroſus aliquis ludimagiſter aut ſaeuus Orbilius, lyram manu tenens Horatio adſtitit. Poeta incipit praelia, pugnas et victorias dicere. Tum Apollo iratus bono poetae lyram capiti impingit, vt mirum ſit, ni, vt iſti apud comicum, colapho tuber ſit totum caput. Elegantem vero Apollinem, elegantiorem Horatium, qui tam bellam hiſtoriolam excogitauerit, elegantiſſimum vero Dacierium! Eiusdem prope argumenti carmen eſt apud Propert. *III, 2.* vbi, poſteaquam narrauit, ſe heroici carminis fontes attigiſſe, addit. *v. 13.*

Cum me Caſtalia ſpeculans ex arbore Phoebus,
Sic ait aurata nixus ad antra lyra:
Quid tibi cum tali, demens, eſt flumine? quis te
Carminis heroi tangere iuſſit opus?

Addamus alia exempla: *I, 15. Paſtor cum traheret etc. III, 3. Iuſtum et tenacem etc. I, 17. Sic tibi copia etc. I, 24. Cui pudor etc. III, 24. Intactis*

opu-

opulentior etc. III, 29. Tyrrhena regum etc. IV, 4. Qualem miniſtrum etc. vbi in tota comparatione Druſi cum aquila verborum ordo a communi conſuetudine recedit. De his notanda ſunt verba Longini, *S. 17.* ἐν τάξει τὸ ἠρεμοῦν, ἐν ἀταξίᾳ δὲ τὸ πάθος, ἐπεὶ φορὰ ψυχῆς καὶ συγκίνησις ἐστίν. et Demetrii Phalerei *de eloc. S. 266.* καὶ νὴ τοὺς θεοὺς σχεδὸν ἂν καὶ ἡ ἀσάφεια πολλαχοῦ δεινότης ἐστὶ, atque *S. 257.* Ποιεῖ δέ τινα καὶ ἡ βία κατὰ τὴν σύνθεσιν δεινότητα. δεινὸν γὰρ πολλαχοῦ καὶ τὸ δύσφθογγον, ὥσπερ αἱ ἀνώμαλοι ὁδοί. Atque hanc obſeruationem aut ignoraſſe aut potius non meminiſſe videtur Heineccius, qui in *Fundam. Stili p. m. 152.* illum Horatii locum, quem contra Dacierium vindicauimus modo, non recte cepiſſe videtur. Vbi, et erro fortaſſe, ſed dicam tamen, licet timidiuſcule dicam, vbi mihi in addita nota ſummus Gesnerus non ſatisfacit. Meliora docere videtur praeclarus vir, Doruillus ad *Chariton. p. 271.*

V. Senſus per plures ſtrophas extenſus.

Addamusne his aliud praeterea audaciae genus, quod in carminibus Horatii obſeruamus? Si poetae animus tranquillus eſt, quietus, nullisque vehementioribus motibus excitatus: tum ſingulae ſtrophae perfectum ſenſum continent. Certe Grammaticorum filii hanc legem tulerunt, qualibet ſtropha ſenſum eſſe abſoluendum. Poeta vero ſimilis eſt fluuio monte decurrenti. Hunc nihil retinet, nihil moratur; ſumma vi praecipitat. Sic etiam poeta per duas tresue ſtrophas ſenſum extendit: atque tum demum ſubſiſtit et quaſi quieſcit. Audax noſter Horatius, *IV, 4.* per quinque ſtrophas abripitur, atque demum in *v. 18.* ſubſiſtit, mox iterum abreptus in

v. 28.

v. 28. moratur. Pari modo *I, 14. I, 35.* duas ſtrophas connectit, et, *IV, 15.* a. *v. 4.* vsque ad *16.* excurrit. Quid denique dicas de *IV, 14.* vbi prope omnes ſtrophae aliis ſunt intextae, ſenſusque per multos verſus continuatus? Sed horum exemplorum magna eſt copia. Facile talia, quibus volupe eſt, inuenient. Omnia quaſi coniuncta ſunt, quae adhuc de audaciae huius genere diximus in *IV, 3. Qualem miniſtrum etc.* de quo carmine vere Scaliger, pater, iudicauit: *Quarta nec Pindaro cedit*, et, vt Dacierius adnotat: *Tota vero cantione hac et ſe ipſum et omnem Graeciam ſuperauit.* Haec nobis de ipſo carminum habitu et compoſitione dicta ſunto. Veniamus ad alterum felicis audaciae genus, ad ſententias ſublimes, nobiles, magnificas.

Alterum audaciae genus: nobiliſſimae ſententiae.

Audaces ſententias maxime carmen commendare et ornare, ſatis notum eſt. Quis ignorat haec Longini, *S. 8.* *πρῶτον μὲν καὶ κράτιστον τὸ περὶ τὰς νοήσεις ἁδρεπήβολον*, aut illud Quintiliani, *Sententiarum optimam quamque a periculo peti?* Quas vero dicimus audaces ſententias? nempe eas, quae humanae naturae imbecillitatem quaſi ſuperare videntur, quae ex animo magno et nobili profectae ne capi quidem poſſunt ab abiecto et humili, quae auditorem aut lectorem attollunt, vt ſeſe quaſi grandior fiat, quae non tam nobis perſuadent, quam potius in admirationem nos rapiunt. Optimi magiſtri Longini verba adſcribamus. Hic et in *S. 1.* *ου γὰρ εἰς πειθὼ τοὺς ἀκροωμένους, ἀλλ᾽ εἰς ἔκστασιν ἄγει τὰ ὑπερφυᾶ*, et in *S.* 7. inquit: *πρὸς μεγαλοφροσύνην τὴν ψυχὴν συνδιατιθῇ, καὶ ἐγκαταλείπῃ τῇ διανοίᾳ πλεῖον τοῦ λεγομένου τὸ ἀναθεωρούμενον.* Dicamus illud audax eſſe,

esse, de quo idem dicere possis quod Seneca *Suas. I. 1. Id demum magnificum esse in oratione, quod diu contempleris, neque tamen in maius attollere possis.* Eiusmodi nobiles sententias a magnis viris pronunciatas historiarum monimentis consignatas legimus multas. Graecia inprimis olim et Roma audiuit tales complures. Quis non extollitur animo, si Mucium illum ad Porsennam dicere: *Et facere et pati fortia Romanum est*, aut Alexandrum Parmenioni de defendendis impedimentis sciscitanti respondere audit: *Me et Philippo patre dignum est, contemto sarcinarum damno fortiter dimicare.* Vide, quam humili verbo vtatur. *Sarcinas* appellat impedimenta omnemque supellectilem. Sed exscribendi essent veteres auctores, si exempla cumulare vellemus. Maneamus in Horatii carminibus. Hic vero animum nostrum ad se rapit nobilis illa sententia, *III, 3.* de viro iusto et virtute praedito: *Si fractus illabatur orbis Impauidum ferient ruinae*; quae sublimitas! quae imago! Vir iustus et constans non mouetur furore ciuium, non minis saeui tyranni: turbet et misceat auster mare, tranquillus erit: tonet et fulminet coelum, idem erit: nutet denique coelum et ruinam minetur, concutiatur terra, impauidus hanc ruinam intuebitur, impauidus et suus obruetur. Quid vero magnificentius dici potest? quae sententia potest esse audacior? Imitatus est hunc locum ex recentioribus Hier. Angerianus in *Erotopaegn. p. 217.*

Conscia mens recti fida est custodia, dumque
Nil obsim mea quo membra pauore trement?
Tota ruat coeli moles, non terreor: ipsa,
Ipsa ruant in me fulmina, laetus ero.

Oratione vero eandem sententiam expressit Dan. Heinsius, cuius orationes, quae maximam sententiarum

rum nobilitatem cum ſummo verborum ſplendore coniunctam exhibent, etiam atque etiam eloquentiae ſtudioſis commendamus, in *orat. de Stoica Philoſ. p. 373. Calamitates omnes vndique inuadant, paupertas opprimat, opes deficiant, dolor machinas admoueat, terra coelo miſceatur, coelum ſibi aut in caput ſapientis cadat, immotus animo et inconcuſſus, ſuae voluntatis conſcius ac potens, diuina autem fretus, vitam, quam in ſumma ſemper egit tranquillitate Deo ſuo vel donabit, vel reddet.* Nec poenitet ſimilem locum adſcribere ex Aeſchylo, quo poeta ita delector, vt nullo alio, *Prometh. v. 991.* ῥιπτέσθω μὲν αἰθαλοῦσα φλόξ, λευκοπτέρῳ δὲ νιφάδι καὶ βροντήμασι χθονίοις κυκάτω πάντα καὶ ταρασσέτω. Γνάμψει γὰρ οὐδὲν τῶν δὲ μ᾽ ὥστε κ. λ. Qualia vero tibi videntur haec apud Achillem Tatium, *I, VI, 405.* Τὰς βασάνους παράστησον. Φερέτω τροχόν. ἰδοὺ χεῖρες. τεινέτω. Φερέτω μάστιγας. ἰδοὺ νῶτος. τυπτέτω. κομιζέτω πῦρ. ἰδοὺ σῶμα. καιέτω. Φερέτω καὶ σίδηρον. ἰδοὺ δέρη. σφαζέτω. Quid poteſt praeſtantius dici? non inutile profecto erit, comparare inter ſe ſimilia veterum loca. Quare nos etiam adſcribemus et indicabimus loca, quae in veterum atque recentiorum auctorum libris obſeruauimus. Porro idem magnus animus, eadem in magnis cogitationibus audacia apparet e *I, 22.* vbi integrum vitae ſceleriſque purum ſine telis, arcu et iaculis per ſyrtes et Caucaſum iturum eſſe dicit, et *III, 29.* vbi fortunae quaſi bellum indicit, et leuem hanc meretriculam vincit: *Si celeres quatit pennas, reſigno, quae dedit, et mea Virtute me inuoluo.* Parui ſe ait aeſtimare munera et fauorem fortunae; ſin, quae dederit, iterum ſibi velit eripere, ſe lubenter eſſe omnia redditurum: retinere ſe tamen ſemper virtutem: huius conſcientiam ſibi

ſibi a fortuna eripi non poſſe: hac ſe ſe tanquam veſte munire, qua inuolutum ſe fortunae luſus irridere. Videtur fere mihi traxiſſe hoc *inuoluo virtute* Horatius e Graeco ſermone. Memini certe Ariſtidem *T. I. p.* 72. dicere: ἀμφιεσαμένη πολλὴν αἰδῶ, et Aelianum V. H. *VII*, *9*. dicere: ἠμπείχετο τῇ σωφροσύνῃ. Etiam pater poetarum aliquoties: ἀναιδείην ἐπιειμένε. Quam loquendi rationem etiam Latini adoptauerunt, vt Tacitus *Annal. XI*, *45*. *animum bonis artibus induerat.* Sed video, iam plura e Latinis ſcriptoribus exempla attuliſſe Burmannum ad Petron. *p. 25*. edit. alter. Eodem animo, quo illa, *I*, *31*. reiicit Horatius omnes opes et diuitias, non orat Apollinem Sardiniae ſegetes, non aurum aut ebur Indicum, non magna rura. Libere fatetur *II*, *18*. *Non ebur neque aureum Mea renidet in domo lacunar — At fides et ingeni Benigna vena eſt.* Quae fortaſſe expreſſit ex Bachylide *p. 285*. Οὐ βοῶν πάρεστι σώματ᾽ οὔτε χρυσὸς, οὔτε πορφύρεοι τάπητες, ἀλλὰ θυμὸς εὐμενὴς, μοῦσα τε γλυκεῖα κ. λ. Diuitias etiam et ſplendorem *III*, *1*. nihil ait conferre ad dolorem animi minuendum. Se malle ea contemnere: nolle ſe, qua delectetur, vallem Sabinam relinquere, vt maiores opes conſequatur. Tum *III*, *3*. vbi digna illa Romano ciue ſententia occurrit: *dulce et decorum eſt pro patria mori*, tam vere, quam ſublimiter dicit: virtutem non repulſam pati, eamque non honoribus fulgere, qui a voluntate plebis dependeant: dignitatem illius non contaminari poſſe, ſed eſſe ſemper puram: virtutem ſuis coelum aperire et immortalitatem donare: vbi obiter notamus, illos verſus: *Vetabo, qui Cereris ſacrum Vulgarit arcanae, ſub iisdem ſit trabibus etc.* videri mihi ductos e Callimacho, *hymn. in Cerer. v. 117*. Δάματερ, μὴ τῆνος

ἐμὶν

ἐμὶν φίλος, ὅς τοι ἀπεχθὴς εἴη, μηδ' ὁμότοιχος. ἐμοὶ κακογείτονες ἐχθροὶ, adde Aeſchylum *in Sept. c. Theb. v. 605.* vbi Horatianum: *ſoluat phaſelum* bene illuſtrari poteſt illo; ἢ γὰρ ξυνεισβὰς πλοῖον εὐσεβὴς ἀνὴρ Ναύτησι θερμοῖς δὲ πανυργίᾳ τινὶ, ὄλωλεν ἀνδρῶν σὺν θεοπτύστῳ γένει. Denique quam magnifica haec; *III, 16.* ſe diuitias non curare, ſeque, dum illas contemnat, ditiorem ſibi videri maioremque, quam, ſi quicquid Appulus aret, ſuis horreis occultare dicatur; *III, 24.* auaritiam eſſe omnium malorum fontem; dimittendam eſſe illam pectore: amorem opum eiurandum, et diuitias abiiciendas, *nos in mare proximum Gemmas, et lapides, aurum et inutile Mittamus: III, 29.* non ſuum eſſe, precari, ſi procellae oriantur, vt dii nauibus ſuis parcant; ſe talia non curare: illum tantum laetum viuere et ſui potentem, cui liceat quotidie dicere: Hunc diem bene transegi: fortuna in transacta nullum ius habet, non irrita facere poteſt praeclara mea facta: nihil amplius deſidero: moliatur et machinetur fortuna, quodcunque velit: *Vixi. IV, 9.* dicit Lollium eſſe conſulem, ſed non conſulem vnius anni, verum omni tempore, quo virtutem ſuam exerceat: conſulatum vnius anni ſpatio terminari: Lollium conſulem eſſe, quoties vtili honeſtum praeferat: neque enim ab honoribus virtutis dignitatem dependere: ſolum illum eſſe conſulem, qui contemnat opes et diuitias et effrenatas cupiditates coerceat: hunc eſſe conſulari animo praeditum. Recte enim ſic, ſi quid iudico, explicarunt viri docti hunc locum, a quibus male diſſentit Dacierius. *II, 2.* nobilis eſt deſcriptio viri, qui libidinem et cupiditates, immo qui ſe ipſum vincat. Hunc praeponit poeta totius orbis terrarum victori, huius imperium maximo regno maius eſſe dicit.

Latius regnes auidum domando ſpiritum, quam ſi Lybiam remotis Gadibus iungas et vterque Poenus ſeruiat vni: virtutem, quae non, vt ſtulta plebs, ſentiat, minime Phrahaten, peſſimum tyrannum, ad beatos et felices referre, ſed hoc nomine eos ornare, qui magno animo diuitias ſpreuerint. *Quisquis ingentes oculo irretorto ſpectat aceruos*, quorum in interpretatione quoniam diſſentire videmus viros doctos, noſtram quoque dicemus ſententiam. Clericus quidem in *Arte Critica*, *I*, *2. 11.* interpretatur locum per oculos abſtinentes et qui omnino nihil intelligant. Heumannus vero in *Parergis Criticis* cum aliis Horatium dixiſſe cenſet, quisquis ingentes aliorum opes ſine inuidia intuetur. Inſunt in his quaedam, ſed non inſunt omnia. Horatius pingit hominem, tanta conſtantia atque fortitudine animi, vt magnum auri argentique aceruum adſpiciens, ne oculos quidem detorqueat. Nam ad magnum ſplendorem, vt ſolis, aut conniuemus, aut deiicimus oculos, et ab adſpectu rei, quam horremus aut timemus, auertimus oculos. Hic vero vir ne timet quidem, ne, ſi adſpiciat aurum, cupiditate illius accendatur: ideo magno animo illud intuetur: non deiicit oculos, non detorquet, quo minus hoc ſplendore perſtringantur. Hac fortitudine nulla maior cogitari poteſt. Quemadmodum, qui pulchram mulierculam rectis oculis adſpicit atque amorem, blanditias et illecebras toruo vultu contemnit, fortior eſt eo, qui non aliter ex hoc certamine ſuperiorem ſe diceſſurum eſſe ſentit, quam ſi aut abeat, aut certe non intueatur illam pulchritudinem: ita etiam ille, qui opes videns non tamen earum ſplendore percellitur, maior eſt eo, qui ad ſuſtinendum hunc contemtum animumque firmandum eas ab oculis remoueat. Haec mihi vera videtur

tur huius loci interpretatio. Eiusmodi igitur ſententiae nobiles ſunt, magnae, et dignae Romano, qui ſe victorem totius orbis terrarum meminit, qui diuitias a ſe contemni debere, non amari, ſibi perſuaſit. Hae nobis ſublimem et nobilem Romani poetae animum depingunt. Nam vt fere dicit Longinus *S. 9.* *τὸ τοιοῦτον ὕψος μεγαλοφροσύνης ἀπήχημα.* Quemadmodum enim praeclarae et ſublimes ſententiae ab animo humili, admiratore diuitiarum, opum amatore, adulatore, ne capi quidem poſſunt: ita neque ab vllo alio, niſi magno animo proficiſcuntur. Recte monet, quem nunquam ſatis laudare poſſumus, Longinus, *S. 9.* *ὡς ἔχειν δεῖ τὸν ἀληθῆ ῥήτορα μὴ ταπεινὸν φρόνημα*, et eodem loco: *εἰς τοὺς μάλιστα φρονηματίας ἐμπίπτει τὰ ὑπερφυᾶ.* Non minus elegans dicendi magiſter Quintilianus, *Maxima, ait, pars eloquentiae conſtat animo, — qui quo generoſior celſiorque eſt, hoc maioribus velut organis commouetur.*

Ad audaces has ſententias refero etiam ea loca, vbi Horatius plenus furore ipſam aeternitatem ſpectat, ſuum nomen aureis litteris omnis aeui annalibus impreſſum intuetur, ſuaque carmina ab omni poſteritate, ab omnibus populis legi videt. His cogitationibus plenus dicit *III, 30.* *Exegi monimentum aere perennius — Dicar, qua violens obſtrepit Aufidus etc. vsque ego poſtera Creſcam laude recens.* Et *II, 20.* ſe quaſi cygnum, non vſitata nec tenui ferri per aethera penna videt, atque vaticinans addit: *Me Colchus et qui diſſimulat metum Marſae cohortis Dacus et vltimi Noſcent Geloni: me peritus Diſcet Iber Rhodanique potor.* Quae quidem Horatiana ita imitatus eſt Muretus *II, 9.*

Non te Parca feret totum, non totus obibis,
Parsque tui effugiet ferales optima flammas.
Musa suos vetat ipsa mori, dat viuere Musa
Perpetuo, et famam memorem per secla propagat,

adde Callim. *ep. 2.*

Αἱ δὲ τεαὶ ζώουσιν ἀηδόνες ᾗσιν ὁ πάντων
Ἁρπακτὴρ αΐδης οὐκ ἐπὶ χεῖρα βαλεῖ,

quae sententia apud Pindarum saepius occurrit. Huc etiam pertinent illa *IV, 9. Ne forte credas interitura etc.* Atque profecto magnum est aliquid, omnem posteritatem suorum operum admiratorem videre, sibique ipsam immortalitatem nominis et perpetuam gloriam spondere. Tales cogitationes non nisi a magnis hominibus concipiuntur, et qui earum capaces sunt, non possunt non praeclara opera et excellentia proferre. Verissime enim ait Longinus, *S. 14.* εἰ δέ τις αὐτόθεν φοβοῖτο, μὴ τοῦ ἰδίου βίου καὶ χρόνου φθέγξαιτό τι ὑπερήμερον, ἀνάγκη καὶ τὰ συλλαμβανόμενα ὑπὸ τῆς τούτου ψυχῆς ἀτελῆ καὶ τυφλὰ, ὥσπερ ἀμβλοῦσθαι, πρὸς τὸν τῆς ὑστεροφημίας ὅλης μὴ τελεσφορούμενα χρόνον. adde, quae copiose et praeclare de hac re disputat Dacierius ad *II, 20.* Conscius sibi est praeclarus auctor praestantiae suae, et quas se mereri laudes iudicat, a sapienti posteritate sibi quoque tribui videt. Eandem nobilem de se opinionem declarat *I, 1.* vbi gelidum nemus iactat, seque dis misceri superis ait; *I, 17.* vbi Musam suam dis cordi esse dicit: *II, 7.* vbi ipsum Mercurium fingit, defensorem doctorum virorum et poetarum, se praelio et periculis eripuisse: *II, 17.* vbi, cum ab arbore prope occisus fuisset, narrat sibi Faunum opem tulisse, ictumque leuasse dextra: adde *III, 4.* et *18.* atque *IV, 6. Nupta iam dices: ego Dis amicum Reddidi*

didi carmen docilis modorum Vatis Horati, quem locum pulchre imitatus eſt Huetius *p. 122. ed. Oliv.*

Seruabunt numeros noſtraque concinent
Miſtae cum pueris carmina virgines,
Formoſo dociles reddere pollice
Cantus vatis Huetii.

Sunt vero apud vtriusque linguae poetas multa loca, his ſimillima, vbi ipſi ſuas laudes praedicant, ſibique gloriam et famam praedicunt. Plurima exempla leguntur in carminibus Pindari, vt: *Ol. I.* Εἴη σέ τε τοῦτον ὑψοῦ χρόνον πατεῖν, ἐμέ τε τοσσάδε νικαφόροις ὁμιλεῖν, πρόφαντον σοφίᾳ καθ᾽ Ἕλλανας ἐόντα παντᾶ. *III.* Μοῖσα δ᾽ οὕτω τοι παρέστα μοι νεοσίγαλον εὑρόντι τρόπον Δωρίῳ φωνὰν ἐναρμόξαι πεδίλῳ ἀγλαόκωμον. *IV.* Ζεῦ, τεαὶ γὰρ ὧραι — μ᾽ ἔπεμψαν ὑψηλοτάτων μάρτυρ᾽ ἀέθλων. *VI.* Δόξαν ἔχω τιν᾽ ἐπὶ γλώσσᾳ ἀκόνας λιγυρᾶς κ. λ. et minime obſcure *VII.* καὶ ἐγὼ νέκταρ χυτὸν Μοισᾶν δόσιν ἀθλοφόροις ἀνδράσιν πέμπων, atque *X.* μέλιτι δ᾽ εὐάνορα πόλιν καταβρέχων — αἴνησα. Et ſic ille ſaepius. Neque haec exſcripſiſſem, niſi optimi poetae lectionem noſtra aetate negligi ſcirem. Quam magnifice Statius de ſe ſenſerit et locutus ſit, multis exemplis oſtendit Barthius *ad Theb. IV, 37.* Et qualia tibi videntur haec Propertii, *III, 1.*

Meque inter ſeros laudabit Roma nepotes:
Illum poſt cineres auguror eſſe diem.
Ne mea contemto lapis indicet oſſa ſepulchro,
Prouiſum eſt Lycio vota probante deo.

aut illa Ouidii, *Tr. III, 7. 19.*

Quilibet hanc ſaeuo vitam mihi finiat enſe;
Me tamen exſtincto fama ſuperſtes erit.
Dumque ſuis victrix omnem de montibus orbem
Proſpiciet domitum Martia Roma, legar.

 aut

aut iſta *Tr. II, 115.*

Sit quoque noſtra domus vel cenſu parua, vel ortu,
Ingenio certe non latet illa meo.
Quo videar quamuis nimium iuueniliter vſus,
Grande tamen toto nomen ab orbe fero.
Turbaque doctorum Naſonem nouit et audet
Non faſtiditis adnumerare viris.

Et *Amor. III, 15.*

Pelignae dicar gloria gentis ego.
— Atque aliquis ſpectans hoſpes Sulmonis aquoſi
Moenia, qua campi iugera pauca tenent,
Quae tantum, dicet, potuiſtis ferre poetam,
Quatulacumque eſtis, vos ego magna voco.

et *Amor. I, 15. 41.*

Ergo etiam, cum me ſupremus adederit ignis,
Viuam: parsque mei multa ſuperſtes erit.

Talia exempla occurrunt plura apud poetas, quae facile potuiſſemus in medium proferre, ſi libuiſſet. Erat enim nobis olim perſuaſum, eum, qui ſe humanitatis litteris operam dare dicat, non legere, ſed ediſcere debere veteres poetas.

Sed reliqua videamus. Audax inprimis noſter eſt in laudando Auguſto et Romani populi maieſtate deſcribenda. Sic, vt bene Dacierius obſeruauit, audacter *I, 2.* dicit, morte Caeſaris totam naturam commotam fuiſſe: inde Iouem fulminaſſe: inde grandinem et niuem veniſſe. Mercurium demiſſum eſſe coelo ad vlciſcendam Caeſaris necem, tantumque ſcelus vlciſcendum: atque hunc Mercurium eſſe Auguſtum. Inde addit: *Serus in coelum redeas*: nempe, tu, Auguſte, non homo, non mortalis es, ſed deus, ſed Mercurius, qui coelo ad aliquod tempus tantum deſcendiſti. Eandem ſublimitatem recte idem

idem Dacierius tribuit *I*, *12.* vbi poeta dicit, fata destinasse, vt Iupiter Augusti curam gereret: hunc Augustum cum Ioue diuisum imperium habiturum esse: Augustum solo Ioue secundum in terra esse regnaturum, Iouique relicturum fulmen et tonitru. Magnificentius profecto et sublimius princeps laudari non poterat. Quantum enim hoc est? hunc regem solo Ioue minorem esse; cum hoc Iouem totius orbis imperium diuisisse, sibique coeli tantummodo imperium retinuisse? Idem dicit *III*, *5.* duo esse deos et Ioues: vnum coelo tonantem regnare, alterum praesentem in terris esse Augustum, et *IV*, *14.* vbi Augustum ait quasi terrestrem deum a Romanis coli: *Te multa prece, te prosequitur mero etc.* Porro *IV*, *2.* ita laudat Augustum, vt nihil maius cogitari possit. Nam licet aurea aetate, quam poetae fingebant, omnia excellentissima fuerint, ipsa tamen illa aurea tempora non praestantiorem principem donare posse dicit. Si nobiscum reputamus, quam de aurea aetate veteres habuerint opinionem, quam perfecta et absoluta omnia ea fuisse existimauerint, tum vero videbimus, quam audacter dicta sint haec:

Quo nihil maius meliusue terris
Fata donauere, bonique diui.
Nec dabunt, quamuis redeant in aurum
Tempora priscum.

Vbi etiam notabis: non solum maximum principem vocari Augustum, sed etiam optimum, quae duae virtutes coniunctae summum principem omnibusque partibus absolutum reddunt. Quam sententiam ita expressit Iohannes Secundus, *p. 152.*

Quo mitius clementiusque
Nil dederuntue dabantue secla:

Non ſi recurrant tempora, quae Iouis
Ferunt parentem falciferum ſenem
Rexiſſe, cum fides ſororque
Iuſta pio ſupereſſet orbi.

Hiſce enim verſibus elegantiſſimus poeta, cuius lectionem commendamus etiam atque etiam, idem indicat, quod Horatius. Paulo aliter Eumenius paneg. pro reſtaur. Schol. *c. 18. adeo, vt res eſt, aurea illa ſecula, quae non diu quondam Saturno rege viguerunt, nunc aeternis auſpiciis Iouis et Herculis renaſcuntur.* Eadem ſententia eſt *IV, 5.* vbi Auguſti vultum, quaſi ſolem, omnia exhilarare et noctis tenebras diſpellere ait. Illius abſentia triſtem quaſi hiemem eſſe Romae: ſi redeat Auguſtus, redire ver et coeli ſerenitatem.

Lucem redde tuae, dux bone, patriae:
Inſtar veris enim vultus vbi tuus
Affulſit populo, gratior it dies
Et ſoles melius nitent.

Haec vltima praeſertim plena ſunt venuſtatis. Ita etiam mulier apud Aeſchylum *Perſ. 300.* poſtquam Xerxem adhuc viuere audiuit, ait: *ἐμοῖς μὲν εἶπας δώμασιν φάος μέγα καὶ λευκὸν ἦμαρ νυκτὸς ἐκ μελαγχίμου*, et Euripid. *Oreſt. 243.* de Menelao adueniente: *ἥκει φῶς ἐμοῖς καὶ σοῖς κακοῖς.* Hunc locum idem Secundus imitatus eſt ſic *p. 156.*

— Serena eſt reddita patriae
Vultu tuo lux et videntur
Ire dies meliore ſole etc.

Magnificis his Auguſti laudibus adde *IV, 14.* Inter audaces vero de Romano imperio ſententias eminet, *II, 1.*

Iuno et deorum quisquis amicior
Afris, inulta cesserat impotens
Tellure.

Iuno, Neptunus, Pallas amabant prae aliis terris Africam, atque inprimis Iuno Carthaginem *terris magis omnibus vnam* colebat et amabat. Iam Romani hanc vrbem euertebant et destruebant. Impotens Iuno dilectam vrbem non potuit defendere, immo ne tum quidem vlcisci hanc iniuriam, euersione vrbis sibi illatam. Scipio igitur maior deis, Romani potentiores erant Iunone. Sed quo magis hanc sententiam considero, eo minus mihi illa probanda videtur. Nam dum poeta Romanorum potestatem ipsis diis superiorem esse dicit, dum Iunonem cedere debuisse inquit, impius videtur erga deos. Tum vero haec sententia non magis probanda est, quam illa Lucani:

Victrix causa deis placuit, sed victa Catoni,

de qua quid viri docti sentiant, notum est. Verum iudicent de hoc alii. Non minus audacter *III, 3.* ipsam Iunonis orationem ponit de Romani imperii maiestate. Quam magnifica haec:

Stet Capitolium fulgens:

fore, vt Roma cum terrore maximo nomen in vltimas orbis regiones extendat: illam armis victuram esse omnes populos:

Quicunque mundi terminus obstitit,
Hunc tangat armis etc.

Imagines.

Sunt denique plurimae audaces sententiae in carminibus Horatii, quibus cum depingantur quasi res, possis etiam eas *imagines* dicere; nos eas referemus ad sententias. Sic magnifica sunt, quae *III, 5.* de Regulo dicit. Regulus in senatu suasit, ne captiui redderentur, et tum ad

Carthaginienses redire cupit. Nouit, quae sibi parata sint, neque tamen mutat consilium. Amici et propinqui illum retinere cupiunt: populus obstat et retinet. Regulus obstantem cateruam *dimouet* abitque, et quidem eo vultu, quasi molesta clientis alicuius lite transacta in villam abiret, quasi animi oblectandi caussa et recreandi *Tenderet Venafranos in agros.* Tanta ex vultu laetitia eminet, tanta est frontis serenitas. Non poterat profecto vir fortis et Romanus melius depingi. Similiter Ouidius de Hercule in rogo posito: *Met. IX, 236.*

Haud alio vultu, quam si conuiua iaceret
Inter plena meri redimitus pocula sertis.

II, 1. de Catone dicit:

Et cuncta terrarum subacta
Praeter atrocem animum Catonis.

Vnus homo vinci non potuit. Caesar totum terrarum orbem superauerat, copias hostium profligauerat, vicerat omnia: solus Cato humana sorte exemtus est: liber vixit, liber animam reddidit. *IV, 13.* dum pulchritudinem describere cupit, audaci sententia Cupidinem in genis virginis sedem sibi collocasse ait:

Ille virentis et
Doctae psallere Chiae
Pulchris excubat in genis.

Similem formulam ex Sophocle attulerunt interpretes: nos laudabimus aliquot ex aliis. In Anthol. vet. Epigr. *T. I. p. 646.*

O blandos oculos et inquietos,
Et quadam propria nota loquaces,
Illic et Venus et leues Amores
Atque ipsa in medio sedet Voluptas,

vbi vide Burmannum, et in *Addend. p. 746.* Similiter Iohannes Secundus *p. 111.*

Quot

Quot blandae Veneres, quotque Cupidines,
Et labella pererrant,
Et genas roſeas tuas.

et Marullus *p. 88.*

Amorem ocellis inſidentem fulgidis
Vidi —
Charitesque circum et Dionem auream
Spretis Cytheris dulcibus.

Paria habet dulciſſimus Anacreon, *p. 152.* Τρυφεροῦ δ' ἔσω γενείου περὶ λυγδίνῳ τραχήλῳ χάριτες πέτοιντο πᾶσαι. Et quomodo placent illa Pindari *Nem. VIII.* Ὥρα πότνια - ἅτε παρθενίοισε παίδων τ' ἐφίζοισα βλεφάροις. Alio quidem modo, molliſſime tamen atque, vt nihil venuſtius eſſe poſſit, Ibycus dicit *p. 90.* Εὐρύαλε γλαυκέων χαρίτων θάλος καλλικόμων μελέδημα σέ μεν κύπρις ἅτ' ἀγανοβλέφαρος πειθὼ ῥοδέοισιν ἐν ἄνθεσι θρέψαν. Non minus iucunda et audax ſententia eſt *I, 2. Erycina ridens, Quam Iocus circumuolat et Cupido.* Pulchrum eſt certe, Ioco et Cupidini alas tributas eſſe. Locum imitatus eſt Marullus *p. 35.*

Tuque o quae Cnidon incolis Paphumque,
Piſcoſo dea procreata ponto,
Quam circumſiliunt Iocusque Amorque
Et paſſis Charites comis decentes etc.

Illud vero *ridens* ductum eſt a Graecorum φιλομμειδὴς Ἀφροδίτη. vide Spanhem. *ad Callim. p. 225.* add. Sappho *p. 37.* ad Venerem: τὺ δ' ὦ μάκαιρα Μειδειάσαισ' ἀθανάτῳ προσώπῳ, et ſic ſaepius poetae latini. Noſter infra *III, 27. Perfidum ridens*; et Ouid. *Met. XI, 329.* de iudicio Paridis: *tum pueris dulce arridens.* Plura habet Heinſius ad *Ov. Met. X, 558.* Verum quemadmodum Ioco et Cupidini Horatium alas dediſſe vidimus, ita etiam audacius eas fato *II, 17.*

volue-

volucrisque fati tardauit alas, et curis datas esse videmus. *II, 16. curas laqueata circum tecta volantes;* quem locum belle suum fecit Iohannes Secundus in descriptione regiae pecuniae, *p. 244.*

At circum auratasque trabes aurataque tecta,
Aureaque insomnes circum laquearia curae
Stridentes agitant pennas examine longo.

Quid vero de eo dicas, quod poeta curam quasi deam inducit, quae semper hominem comitetur, quae eundem locum petat, quem ille, quae cum illo nauim ascendat, quae, si equo vehatur, post tergum sedeat. *Post equitem sedet atra cura. III*, 2. Poenae, quasi homini, dat pedes: *Deseruit pede Poena claudo*, atque etiam morti: *I*, 4. *Pallida mors aequo pulsat pede pauperum tabernas Regumque turres: I, 3.* morbos vt exercitum describit, qui terram aliquam occupet atque castra ibi ponat: *Macies et noua febrium Terris incubuit cohors.* Sic Aeschylus *Suppl. 692.* νέσων δ' ἑσμὸς ἀπ' ἀςῶν ἵζοι κρᾶτους ἀτερπής. *I, 35.* dicit gladios bellis ciuilibus retusos, eorumque aciem corporibus ciuium hebetatam esse: inde orat fortunam, cuius comitatum magnifice describit *I, 35.* vt illos iterum acuat, vt Romani iis contra hostes imperii vti possint.

— *O vtinam noua*
Incude diffingas retusum in
Massagetas Arabasque ferrum.

Similiter Aeschylus in *Choeph. 646.* προχαλκεύει δ' αἶσα φασγανουργὸς, et Noster *IV, 5.* de ira: *non ira quae procudit Enses Et miseras inimicat vrbes.* Si amorem, quo accensus est, exprimere conatur, duabus vtitur audacissimis sententiis. *I, 19. In me tota ruens Venus Cyprum deseruit.* Quae sententia! Venus reliquit dilectam sibi insulam, in qua sedem sibi collo-

collocauit, atque meum pectus intrauit: in meo corpore domicilium posuit: me delubrum suum fecit. *At IV, 13.* indicat amorem, quo olim Lycen prosecutus erat sic: *Quae spirabat amores, quae me surpuerat mihi.* Se dicit non amplius suum, sed Lyces fuisse, atque ab hac se sibi ipsum subreptum. Hoc ex fonte multi summum leporem in carmina sua deriuauerunt, vt exemplis laudatis docet Burmannus ad Anthol. *I. p. 670.* Nos similia aliquot adscribemus e Graecis poetis. Apollon. *Argon. III.* de Medea, cum Iasonem vidisset: ἐκ δ' ἄρα κραδίη στηθέων πέσεν, vid. Tollius *ad Longin. p. 81.* Archilochus *p. 380.* Τοῖος γὰρ φιλότητος ἔρως ὑπὸ καρδίην ἐλυσθεὶς πολλὴν κατ' ἀχλὺν ὀμμάτων ἔχευε κλέψας ἐκ στηθέων ἁπαλὰς φρένας. Callimachus *ep. 32.* ἔγνων, Εὐξίθεός σε συνήρπασε, et *ep. 43.* Ἥμισύ μευ ψυχῆς ἔτι τὸ πνέον ἥμισυ δ' οὐκ οἶδ' Εἴτ' ἔρος, εἴτ' Ἀΐδης ἥρπασε πλὴν ἀφανὲς κ. λ. Longius enim carmen est, quam vt totum huc transferri possit. Verum haec quidem ferenda erant, sed, quaeso te, quid dicas de hoc Anacreontis *p. 212.* Ὦ παῖ παρθένιον βλέπων δίζημαί σε Σὺ δ' οὐκ ἀΐεις, οὐκ εἰδὼς ὅτι τῆς ἐμῆς ψυχῆς ἡνιοχεύεις. Multo profecto verecundius Alcman. *p. 336.* Ἔρως με δ' αὖτε κύπριδος ἕκατι γλυκὺς κατείβων καρδίαν ἰαίνει. Sed sublimius et audacius Euripides *Orest. 1289.* Ἆρ' εἰς τὸ κάλλος ἐκκεκώφωται ξίφη, nisi hoc loco interpreteris gladios per viros gladiis armatos, et ibidem *1023.* ὡς ἰδοῦσά σ' ὄμμασι — ἐξέστην φρενῶν. Denique bellissimum est hoc loco *spirare amores*, quod sic interpretor, vt apud Anacreontem, aut incerti potius nominis poetam, *p. 208.* Ἁπαλὴν παῖδα κατέχων κύπριν ὅλην πνέουσαν. Eodem verbo vtitur Aeschylus *Eumen. 876.* πνέω τοι μένος ἅπαντά τε κότον, et *Agamemn. 1244.* ἄσπονδόν τ' ἀρὰν

τ' ἀρὰν φίλοις πνέουσαν, de Latinorum formula *spirare* v. Drakenb. *ad Sil. Ital. XVII, 536* et Heinſ. *ad Ov. Met. V, 348.* Sed neſcio, quomodo longius in hoc loco explicando commorati ſimus, quam nobis initio fuit propoſitum. Cupimus certe laudatis pulcherrimis Graecorum poetarum locis, et ſenſum pulchri acuere, et iuuentutem ad lectionem venuſtiſſimorum ſcriptorum excitare. Nunc ad alia pergamus, *III, 1.* Iouis imperium et poteſtatem paucis verbis tam magnifice exprimit, vt auguſtius aliquid maiusque dici nequeat. *Cuncta ſupercilio mouentis*, quem verſum ductum eſſe e notiſſimo loco Homeri κυανέῃσιν ἐπ' ὀφρύσι νεῦσε κρονίων — μέγαν δ' ἐλέλιξεν ὄλυμπον, alii iam notauerunt. Sed Horatianae ſententiae maior eſt vis; nam Iouem nutu non coelum tantum, ſed totum terrarum orbem, ſed omnia concutere et mouere dicit. Eadem ſententia eſt apud Virgilium, *Aen. X, 115. Adnuit et totum nutu tremefecit Olympum:* Ouidium, *Met. II, 849. qui nutu concutit orbem:* Statium *Theb. III, 308. terras coelumque fretumque Attremere oranti — vidi, IV, 3. Iupiter — Concuſſitque caput, motu quo celſa laborant ſidera, proclamatque adici ceruicibus Atlas, VIII, 82. non fortius aethera vultu Torquet et aſtriferos inclinat Iupiter axes*, atque ſimiliter prope *IX, 250. leuiterque oculos ad moenia Cadmi Rettulit et viſo ſederunt flumina* (antea turbida) *nutu.* Sic etiam Mamertinus in *Paneg. Maximiniani, c. 7.* de Diocletiano: *verum hoc Iouis ſui more, nutu illo patrio quo omnia contremiſcunt, — conſecutus eſt*, et Eumenius in *Paneg. pro reſtaur. Schol. c. 15. ſummi patris, cuius nutum promiſſionemque firmantis totius mundi tremor ſentit.* Non poſſum non excellentiſſimum etiam Arriani locum adſcribere: ὅταν ἐκεῖνος

νος (nempe Deus) *εἴπῃ τοῖς φυτοῖς ἀνθεῖν, ἀνθεῖ. ὅταν εἴπῃ βλαςάνειν, βλαςάνει, ὅταν ἐκφέρειν τὸν καρπὸν, ἐκφέρει. L. I, c. 14. II. 1.* tantas editas fuisſe dicit ſtrages, vt ipſa maria ſuum colorem amiſerint atque ſanguine infecta et colorata ſint, et aqua rubeat. Si attentius hoc tecum conſideres, audacter dictum eſſe inuenies. *Quod mare Dauniae non decolorauere caedes?* ita vt *II, 12. Siculum mare Poeno purpureum ſanguine.* Plura ſimilia ex aliis exempla collegit Burmannus ad Anthologiam, *I, p. 74.* adde Latinum Pacatum in *Paneg. c. 34. ſpumat decolor cruore fluuius, et cunctantes meatus vix eluctatis cadaueribus euoluit etc. Epod. 9. cui ſuper Carthaginem Virtus ſepulchrum condidit.* Scipio, qui Carthaginem vicerat, hoc fortitudinis ſuae praemium conſecutus eſt, vt ipſa Virtus ei monimentum in ruinis euerſae vrbis poneret. Addamus duo. Magnifica et ſublimis eſt imago Iouis fulminantis *I, 2. rubente Dextera ſacras iaculatus arces.* Inprimis illud *rubente* pingit nobis Deum, qui dextra fuluum fulmen teneat, cuiusque dextra huius ignis ſplendore rubeat. Hanc imaginem videas etiam apud Pindarum *Ol. IX. Δία τε φοινικοςερόπαν* et *Nem. X, 2. Ζεὺς δ᾽ ἐπ᾽ Ἴδᾳ πυρφόρον πλᾶξε ψολόεντα κεραυνὸν,* atque Aeſchylum *Prometh. 668. πυρωπὸν ἐκ Διὸς μολεῖν κεραυνὸν,* et *916. τινάσσων τ᾽ ἐν χεροῖν πυρνόον βέλος.* Non minus nobilis Iouis imago eſt *I, 34. per purum tonantes egit equos volucremque currum;* quae pictori pulcherrimae picturae argumentum praebet, quemadmodum iam olim Phidias ex Homericis verſibus exemplum effigiei Iouis petiit. Sublimia etiam ſunt, quae dicit Horatius de poetis magni ſpiritus. Sic et Pindarum *IV, 2. Dircaeum cygnum,* et Varium *I, 6. Maeonii carminis alitem* appellat. Poſſemus, ſi lice-

liceret, plura afferre multisque exemplis docere, quam audacter Graeci poetae poeticum ingenium atque carminum vim exprimant et describant. Sed ad alia properamus *I, 3.* fingit noster illi, qui primam nauim fabricauerit, pectus ferreum et robore circumdatum fuisse. *Illi robur et aes triplex circa pectus erat.* Addam similia loca ex Aeschylo meo *Prometh. 242.* *Σιδηρόφρων δὲ κἀκ πέτρας εἰργασμένος ὅστις προμήθευ σοῖσιν οὐ ξυνασχαλᾷ μόχθοις*, *Sept. c. Theb. 52.* *Σιδηρόφρων γὰρ θυμὸς ἀνδρείᾳ φλέγων ἔπνει, λεόντων ὡς ἄρην δεδορκότων.* Statius *Theb. III, 200. scopulos et ahena precando Flectere corda paro*, vide alia exempla apud Broukhusium *ad Tibull. I, 1. 64.* De hac igitur felicis audaciae parte, quae magnis sententiis continetur, nihil amplius addam. Nam etsi plura exempla restant, facile tamen ea attenti lectores obseruabunt.

Tertium Audaciae genus elocutio.

Paucis nunc docebimus, quae sit in elocutione audacia. Nempe si poeta a communi loquendi vsu recedit, si verba audacter transfert a communi significatione ad nouam, magnis figuris vtitur, noua verba fingit, antiqua renouat, inusitatas verborum construendorum rationes adhibet. Si Horatii carmina legas, videbis primum multas audaces figuras; obseruabis deinde rara aut noua etiam verba; denique Graecae verborum constructionis multa exempla animaduertes. De singulis his agamus.

I. Audaces figurae.

Iam in audacibus figuris recensendis, quibus Horatius carminibus suis magnam laudem conciliauit, moneo, ne quis a nobis figurarum catalogum e Grammaticorum praeceptis con-

contextum exſpectet. Non curabo, non quaeram, vtrum figura ſit Anaphora an Metaphora, vtrum Metonymia an Synecdoche, aut Hyperbole. Haec nos quidem Grammaticorum filiis relinquamus. Satis ſit nobis, verba a vulgari ratione audacter translata commemoraſſe. Hic vero primum nobis occurrit illa figura, quae rebus omni ſenſu deſtitutis quaſi vitam donat, et de qua Quintilianus dicit *VIII, 6. praecipue ex his oritur mira ſublimitas, quae audaci et proxime periculum translatione tolluntur, cum rebus ſenſu carentibus actum quendam et animos damus;* adde, quae monet Demetrius *de elocutione 81.* Ἀρίστη δὲ δοκεῖ μεταφορὰ, τῷ Ἀριστοτέλει ἡ κατ᾽ ἐνέργειαν καλουμένη, ὅταν τὰ ἄψυχα ἐνεργοῦντα εἰσάγηται καθάπερ ἔμψυχα. Talia apud noſtrum poetam occurrunt permulta. Sic mari et fluminibus frequenter ſenſus tribuitur. Nam *I, 14. imperioſius aequor. III, 1. tumultuoſum aequor. III, 4. inſaniens Boſporus, III, 9. improbo iracundior Adria. Epod. 2. iratum mare III, 27. Aequoris nigri fremitus*, occurrit. Non aliter Graeci poetae, vt Simonides; et ſaepe Homerus. Audacius Aeſchylus in duobus locis: *Prometh. 725.* τραχεῖα πόντου Σαλμυδησσία γνάθος ἐχθρόξενος ναύτῃσι, μητρυιὰ νεῶν, et *Perſ. 71.* πολύγομφον ὅ δισμαζυγὸν ἀμφιβαλῶν αὐχένι πόντου. De fluminibus vero inprimis notanda ſunt haec: *III, 29. Cum fera diluuies quietos Irritat amnes: I,* 2. de Tiberi: *Iliae dum ſe nimium querenti Iactat vltorem — vxorius amnis: II, 9. et rigidum Niphaten Medumque flumen gentibus additum Victis minores voluere vortices.* Fingit poeta, ipſa flumina ſentire, ſuos accolas victos eſſe, atque ſe lenius currere debere, et debitum victori cultum et honorem praeſtare. Similiter Plinius *Paneg. 82.* ſatis

poeti-

poetice: *Danubius ac Rhenus tantum illud nostri dedecoris vehere gaudebant;* haec sententia non semel quoque occurrit in duodecim veteribus Panegyricis, de quibus alio tempore dicemus. Eleganter etiam Iohannes Secundus *p. 239.*

Maxima quem dominum suspirat Roma, Tagoque
Iam pridem Tiberis liuentibus inuidet vndis;

vbi τὸ *liuentibus vndis* pulcherrime positum est a poeta. Pariter de Aufido noster *IV, 4. Cum saeuit horrendamque cultis Diluuiem meditatur agris;* hoc *meditatur* pulcherrimam imaginem habet, et alteri lectioni: *minitatur*, quam Baxterus ex Glossemate ortam fuisse recte dicit, omnino praeferendum. Sed plura Horatius fluminibus tribuit, quae hominum sunt. Sic *III, 13.* riuum ob molle, quod edat, murmur, appellat *loquacem*, et *III, 29.* ripam, quae nullis vehementioribus fluctibus alluitur, quaeque igitur nullo strepitu resonet, *taciturnam:* (sic etiam Statius *Theb. III, 256. imbelli recubant vbi littora somno,* et *259. tacent exhausti solibus amnes*, et Propertius *IV, 4. 48. quippe tacentes Fallaci semper limite celat aquas*, vide plura apud Heinsium ad *Claudian. Cons. Mall. 233.* Burmannum ad *Valer. Flacc. III, 730.* Oudendorpium ad Lucan. *I, 260.* et *X, 328.*) Quemadmodum *IV, 6.* bipenni, *mordaci velut icta ferro Pinus*, ita etiam dentes tribuit fluuio, *I, 31. quae Liris quieta Mordet aqua.* Immo audacius etiam Aeschylus *Prometh. 367.* ἔνθεν ἐκραγήσονταί ποτε ποταμοὶ πυρὸς δάπτοντες ἀγρίαις γνάθοις τῆς καλλικάρπου Σικελίας λευρὰς γύας. Sic etiam de fluuio dicit, illum *lambere* terras, *I, 22.* quam formulam pluribus exemplis illustrat Burmannulus ad *Anthologiam T. I. p. 89.* Eodem modo versatur noster in describenda ventorum vi, quos quasi iratos, quasi bella geren-

gerentes inducit. *I, 9. ventos aequore feruido* (ſimile illud Herodoti ζεσάσης δὲ τῆς θαλάσσης) *depraeliantes I, 25. Thracio bacchante vento*, et *28. quodcunque minabitur Eurus Fluctibus Heſperiis, I, 3. praecipitem Africum decertantem Aquilonibus*, atque eodem carmine *rabiem Noti, quo non arbiter Adriae Maior tollere ſeu ponere vult freta: I, 1. luctantem Icariis fluctibus Africum*. Eandem etiam apud Graecos legimus figuram. Aeſchyl. *Prom. 1084.* σκιρτᾷ δ' ἀνέμων πνεύματα πάντων εἰς ἄλληλα στάσιν ἀντίπνουν ἀποδεικνύμενα. Atque hic etiam nobis in mentem venit locus ille, in quo explicando et defendendo multi elaborauerunt. *IV, 4.*

Dirus per vrbes Afer vt Italas,
Ceu flamma per taedas vel Eurus
Per Siculas equitauit vndas.

Non ignoro, quid dicant de hoc loco viri docti, verum idem, attentius re conſiderata, non negari poſſe arbitror, poetam Euro quoque equitandi notionem tribuiſſe. Neque me offendit haec locutio, quanquam illam audaciſſimam eſſe, facile largior et fateor. Non repetam locum Euripidis iam ab aliis laudatum, lubet tantummodo exemplis aliquot oſtendere, non minus audacter poetas alios de ventis dixiſſe. Pindarus ventos quaſi exercitum proponit: *Pyth. IV.* βαρυγδούπων ἀνέμων στίχες, et *VI.* χειμέριος ὄμβρος ἐπακτὸς ἐλθὼν ἐριβρόμου νεφέλας στρατὸς ἀμείλιχος: et ſi Aeſchylus ea, quae ventorum et aequoris ſunt, militibus tribuere potuit: *Sept. c. Theb. 63.* φράξαι πόλισμα πρὶν καταιγίσαι πνοὰς Ἄρεος. βοᾷ γὰρ κῦμα χερσαῖον στρατοῦ, atque *v. 116.* Κῦμα γὰρ περὶ πτόλιν δοχμαλόφων ἀνδρῶν καχλάζει πνοαῖς Ἄρεος ὀρόμενον, cur non liceat etiam Horatio, ea, quae militum ſunt, tribuere vento? Si dici poteſt, Eurum

bella gerere et praelium committere cum aliis ventis, pugnare cum fluctibus, furere, quidni etiam dicatur Eurum equitare per vndas? Adde, Horatium *III, 3.* dicere: *Auster Dux inquieti turbidus Adriae*, cui ducis notioni bene conuenit *τὸ equitare.* Consule etiam Oudendorpium ad *Lucan. IX*, *454.* vbi docet, passim fingere poetas, ventos Aeolio antro emissos per campos, sicut equos effusos, ruere. Ipse enim ibi Lucanus dicit:

Liberque meatu
Aeoliam rabiem totis exercet habenis.

Qui poetas Graecos diligenter legerit, et quam audacter saepe rem aliquam describant, meminerit, ei haec locutio non tam insolita videbitur, quam iis, qui nondum his mysteriis initiati sunt. Horatium enim, quanquam idem etiam de reliquis omnibus dici potest, sed in proposito maneamus, Horatium igitur non nisi ab eo bene explicari posse arbitramur, qui, ingenuum et nobilem animum a natura nactus, iudicium legendis Graecis poetis bene subegerit et formauerit, minime vero a famelicis et mercenariis hominibus, qui profanis manibus augusta veteris aeui monimenta attrectantes, Musarum sibi et Apollinis iram conciliant, nullaque alia re freti, quam quod vnam alteramue epistolam Ouidii ex Ponto legerint, ad interpretandos poetas accedunt, quos irato suo Genio relinquemus. De ventis etiam memorandus est locus *I*, *26.* vbi iis curas animi deportandas se traditurum esse dicit: *Tristitiam et metus Tradam proteruis in mare Ponticum portare ventis.* Similiter Anacreon, aut incertus potius, Ἐμῶν φρενῶν μὲν αὔραις φέρειν ἔδωκα λύπας., *p. 202.* Paullo aliter Tibullus, *I*, *5. 35.*

Haec mihi fingebam, quae nunc Eurusque Notusque
Iactat odoratos vota per Armenios. *I, 3.*

I, 3. alloquitur nauim, quaſi debitorem ſuum, cui amicum crediderit, atque vt ſaluum ſibi hoc charum pignus reddat, poſtulat: *quae tibi creditum debes Virgilium etc.* cui ſimilis locus eſt apud Callimachum in *Fragm. p. 564.* Ἁ ναῦς ἃ τὸ μόνον φέγγος ἐμὶν τὸ γλυκὺ τᾶς ζωᾶς ἁρπάξας, ποτί τε Ζανὸς ἱκνεῦμαι λιμενοσκόπω. Eodem carmine fulmina dicuntur *iracunda*, quoniam a Ioue irato mittuntur, iraeque illius miniſtrae ſunt, ſicut *c. 12. inimica. I, 14.* de malo, quaſi corpore, cui vulnera infligi poſſint; *malus ſaucius Africo*, et de ſtridore antennarum: *Antennaeque gemant.* Apud Senecam, qui ſaepe Horatium imitatur, *Hipp. 886.* legitur: *ne preſſae graui ſpiritu antennae tremant*, quod mihi bene mutaſſe videtur Cl. Rhoer in *Feriis Daventr. p. 45.* in *gemant.* Non aliter etiam poeta de mari dicit: *II, 20. gementis littora Boſpori.* Sic etiam Statius *Theb. III, 597. Quantus Tyrrheni gemitus ſalis;* et Florus *IV, 11.* licet contra hiſtorici leges: *non ſine gemitu maris et labore ventorum.* vide Burmannum ad *Ouid. Met. IV, 449.* Aeſch. *Prom. 430.* βοᾷ δὲ πόντιος κλύδων ξυμπιτνῶν στένει βυθός. Et quid de eo dicamus, quod eodem carmine pinum *ſyluae filiam nobilem* appellat: Vtitur Pindarus etiam hac filii filiaeque notione de pluuia *Ol. XI.* οὐρανίων ὑδάτων ὀμβρίων, παίδων, νεφέλας. *Nem. IV.* de carminibus: αἱ δὲ σοφαὶ Μοισᾶν θυγατέρες ἀοιδαὶ, et *IX,* de vino: ἀργυρέαισι δὲ νωμάτω φιάλαισι βιατὰν ἀμπέλου παῖδα. *I, 15.* crines Paridis appellat *adulteros*, ſiue ita dixerit pro crinibus adulteri, ſiue indicauerit crines ad adulterium allicientes. Pellucidam aquam dicit *vitream*, vt *IV, 2. vitreus pontus*, et *III, 13. fons ſplendidior vitro.* Callimach, *hymn. in Cerer. 29.* τὸ δ' αὖτ' ἀλέκτρινον ὕδωρ ἐξ ἀμαρᾶν ἀνέθυε. Sic

Apuleius *Met. I. Fluuius ignauus ibat* argento vel vitro *aemulus in colorem.* vid. Heinſ. ad *Ouid. Epiſt. XV*, 157. *Eſt nitidus vitreoque magis perlucidus amni Fons ſacer.* Obſeruauimus etiam non ſemel de arboribus poetam, tanquam de hominibus, loqui. Nam quemadmodum marito orbata mulier vidua dicitur: ita de arboribus frondibus nudatis dicit, eas *viduatas* eſſe. *II*, 9. *Et foliis viduantur orni.* Contra dicit *maritare*, quando vites cum populo coniunguntur, *Epod.* 2. *adulta vitium propagine altas maritat populos*, *IV*, 5. *et vitem viduas ducit ad arbores*; et *II*, 15. *platanus coelebs* audit. V. arboribusque dat (ſicut. *Stat. Theb. I*, 361. brachia: *rapiunt antiqua procellae brachia ſyluarum*) *comas*, *IV*, 7. *redeunt iam gramina campis Arboribusque comae*, atque *IV*, 3. *Spiſſae nemorum comae*, ideo etiam dixit *tondere* arborem; *IV*, 4. *Duris vt ilex tonſa bipennibus*, vide Burmannum ad *Quintil. Inſt. Orat. VIII*, 3. *p.* 680. et plura apud Spanhemium ad *Callim. p.* 65. *etc. IV*, 14. de cladibus vtitur verbo, quo de meſſe alioquin vtimur: *Primosque et extremos metendo Strauit humum ſine clade victor.* vid. et *Obſeruat. Miſcell. V.* 1. *T. I. p.* 29. Sic etiam Aeſchyl. *Suppl.* 673. ἀρότοις θερίζοντα βρότες ἐν ἄλλοις, de Marte. Latinam formulam docte illuſtrat Heinſius ad *Ouid. Met. V*, 104. Copioſe poeta in Anthol. *p.* 96.

Namque velut denſas proſternens meſſor ariſtas
Sole ſub ardenti flauentia demetit arua
Troiugenum infeſto proſternit corpora ferro.

I, 37. Cleopatra fortunae ſecundae fauore elata dicitur *fortuna dulci ebria:* ſimiliter prope Demoſthenes in laudato a Plinio *IX*, 26. loco: ἐκεῖνον μεθύειν τῷ μεγέθει τῶν πεπραγμένων. *I*, 72. quercus, ſecutae Orphei cantum, appellantur *auritae*, vbi vetus Schol.

Schol. notat: *audacter dictum: I, 10.* Apollinem, cui pharetra subducta, appellat *viduum pharetra*, et pharetram plenam telis, *grauidam sagittis, I, 22.* quam formulam aliis exemplis illustrat Heinsius ad *Ouid. Met. I, 443.* et Zinzerlingius in *Promulf. crit. c. 51. IV, 11.* de splendore argenti in aedibus radiantis canit: *Ridet argento domus.* Bachylides *p. 256.* χρυσῷ δ᾽ ἐλέφαντί τε μαρμαίρουσιν οἶκοι, vt *II, 18. Non ebur neque aureum Mea renidet in domo lacunar.* Similiter Graecos γελᾶν dicere de splendore ostendit praeclare Cl. Wesseling in *dissert. Horodotea p. 153.* vide Heins. ad *Ouid. Met. XV, 205.* et Burmann. ad *Petron. p. 652. III, 30.* Imbrem, quoniam multa euertit, atque litteras monimentis insculptas extinguit, vocat *edacem IV, 13.* canos ob albidum colorem dicit *capitis niues: te quia rugae turpant et capitis niues.* Etsi vero, hanc translationem duram esse, lubenter Quintiliano *VIII, 17.* assentiar, malim tamen in Horatio, lyrico poeta, eam cum Baxtero defendere. Recentiores quidem poetae non meminisse videntur Quintiliani admonitionem, qui vel in elegiis niues capites ponunt. Sic Iohannes Secundus *p. 62.*

Tempora quam longum iucundo florida vere
Stant, neque nix atris crinibus vlla venit.

Dan. Heinsius *Sylv. p. 282. purpureis tibi Inobsequentes temporibus niues Spargit senectus*, et quis non? Vellem tamen cautius et rarius hac translatione vterentur. *I, 25.* fluuium Thraciae frigidissimum appellat *hyemis sodalem*, et III, *18.* craterem, *sodalem Veneris: Larga nec desunt Veneris sodali Vina craterae.* III, *1.* fundus, qui non respondet votis agricolae audit *mendax*, vt III, *16. segetis certa fides meae*; de quo nos alio tempore diximus plura, et ar-

 borem,

borem, quasi accusatam vt infructuosam ab agricola, fingit culpam in aquam et nimium calorem conferre: *Arbore nunc aquas Culpante, nunc torrentia agros Sidera, nunc hyemes iniquas.* Lubet tamen proferre, quod mihi super huius loci lectione in mentem venerit. Nam et tres versus in sibilantes litteras exire moleste fero, quanquam de his caute pronunciandum esse scio, sed me ignorasse fateor, an pulchre sit dictum *torrentia agros Sidera.* Quid multa? leui mutatione hoc loco legere mallem *agro:* id est, nunc arbore aquas, nunc agro sidera culpante. Similis locus est apud *Ouid. Met. V, 483.*

Et modo sol nimius, nimius modo corripit imber,
Sideraque ventique nocent.

I, 20. tribuit Echo iocum, quasi voces vltimas per iocum reddat: *simul et iocosa Redderet laudes tibi Vaticani montis imago*, et supra *12. cuius recinet iocosa nomen imago. I, 35.* appellat Augustum (quamuis Dacierius aliter sentiat, et hanc interpretationem irrideat) *columnam*, qua fulciatur quasi salus reipublicae, quae ne a fortuna proruatur, pulchre orat. *Iniurioso ne pede proruas stantem columnam:* sic etiam Pindarus *Ol. II.* ὃς Ἕκτορ᾽ ἔσφαλε Τρόιας ἄμαχον ἀστραβῆ κίονα, et Lycophron *v. 278.* Ὦ Δαῖμον, οἷον κίον᾽ αἰστώσεις δόμων ἔρεισμα πάτρας δυστυχοῦς ὑποσπάσας. Alioquin vtuntur poetae verbo *murus*, vt *Ouid. Met.* XIII, *281. Graecum murus Achilles* et Seneca *in Troad. 125. Tu praesidium Phrygibus fessis, tu murus eras.* vide plura apud Burmannum *ad Anthol.* I. *p. 84.* III, *24.* dum dicit pueros formandos esse ad virtutem, atque ab libidine ad honestam gloriam deducendos; ita canit, quasi elementa pectoribus eradi debeant: *Eradenda cupidinis Praui sunt elementa, et tenerae nimis mentes asperioribus Forman-*

mandae ſtudiis. Sed videntur mihi hunc locum conſideranti attentius pulcherrimi hi verſus correctione indigere. Diſplicet certe *τὸ praui cupidinis.* An vna littera deleta et altera repoſita melius legatur *Paruis?* nempe pueris eradenda ſunt elementa etc. *Paruos* vero dici pueros ſatis notum. Cicero *de Fin. V, 15. Parui primo ortu ſic iacent, tanquam omnino ſine animo ſint;* plura dat Barthius ad *Stat. Sylv. p. 152.* Sed nolumus plura afferre et copioſius explicare. Quare, omni longiori diſputatione omiſſa, ponamus tantummodo exempla figurarum audacium. Lectores ſingulas velim ſecum attentius conſiderent. *I, 1. feruidae rotae: 3. impiae rates: 5. aſpera nigris aequora ventis:* (Sic Virg. Aen. III, 285. *Et glacialis hiems aquilonibus aſperat vndas*, vid. Oudendorp. ad *Lucan.* VIII, *198.* ſed non licet plura proferre, ne moles huius libelli augeatur) *9. nec iam ſuſtineant onus Syluae laborantes: 10.* (de Mercurio) *curuaeque lyrae parentem: 12. minax ponto Vnda recumbit: 28. Aerias tentaſſe domos, animoque rotundum Percurriſſe polum: 35. ſeuerus vncus: 36. laſciuae hederae.* II, *6. viridique certat Vacca Venafro: 7. morantem ſaepe diem mero fregi: 9. inaequales procellae: 12. ducta per vias Regum colla minantium: 13. penetralia ſparſiſſe nocturno cruore hoſpitis.* III, *4. vires omne nefas animo mouentes: 6. Pacori manus non auſpicatos contudit impetus: 9. vigiles lucernae: 12. patruae verbera linguae:* (vnde fortaſſe illuſtrari poteſt formula Quinti Fratris Ciceronis non belliſſima: *Mirificam mihi verberationem ceſſationis epiſtola dediſti*). *14. decorae ſupplice vitta Virginum matres: 21. Socraticis madet ſermonibus: 24. non mortis laqueis expedies caput: 29. mundaeque coenae ſollicitam explicuere frontem:*

IV, 2. vires animumque moresque aureos educit in astra, nigroque inuidet orco: 8. reiectae retrorsum Annibalis minae: 9. spirat adhuc amor, viuuntque commissi calores Aeoliae fidibus puellae: liuidae obliuiones: 13. tempora quae semel notis condita fastis, Inclusit volucris dies: 14. agmina ferrata vasto diruit impetu: Sed caetera ipsis lectoribus quaerenda relinquemus. Possis huc etiam referre, quod saepius poeta res omni sensu carentes alloquitnr, vt I, 3. et 14. nauim, III, 13. fontem, I, 32. et III, 11. lyram: atque III, 21. amphoram. *O nata mecum consule Manlio quocunque lectum nomine Massicum seruas etc.* Quem locum explicare aggressus est Castalio in *Obseru. Decad. V. c. 2.* sed, vt mihi videtur minus recte. Interpretatur enim sic: Quacunque de causa ex eis, vel quas proxime recensui, vel quas non tetigi, quacunque gratia, siue hilaritatis, siue somni causa, vinum conditum asseruas etc. Quale acumen! ergone habebant Romani amphoras, quibus condiderant vinum, quo somnum, alias, quibus amorem, alias, quibus rixas concitari volebant? Atque igitur ea de causa, vt hi motus excitarentur, vinum amphoris mandauerant? Immo sensus, si quid video, hic est: O testa, seu amphora, quae eo anno compacta et fabricata es, qua ego natus, id est, consule Manlio, descende, cuiuscunque anni vinum habeas, quocunque consule lectum etc. Rectene tibi hunc locum explicasse videor? lege, quae alii de hoc loco dicant, et ride. Videtur tamen Dacierius etiam ex aliqna parte verum vidisse.

II. rara vetera et noua verba.

Transeamus ad alia. Diximus enim supra ad felicem Horatii in elocutione audaciam referenda esse rara et

et noua verba. Ad rara etiam vetera verba referimus. Nolumus vero, quantam elegantiam et venustatem poetae et oratores suis scriptis veterum verborum vsu quasi renouato, et nouis excogitatis concilient, copiose exponere. Sunt in omnium manibus, certe esse debent, aureae Quintiliani Institutiones, vnde facile peti haec doctrina poterit. Quare nos quidem commemoratione exemplorum contenti erimus. Ad vetera vero rara et noua verba, quibus Horatius carmina sua, quasi stellis quibusdam, distinxit, referimus: *I, 3. dissociabilis*, pro eo, qui valet dissociare, de quo vide Baxterum et Gesnerum 13. *nota memor*, quae manet: *catus* et *decorae more palaestrae: II, 1. motus ciuicus*, vbi Schol. *ciuicum sicut hosticum veteres dixerunt:* et *III, 24. rabiem tollere ciuicam: 2. dedocere: 7. quis te redonauit Quiritem*, vbi similiter schol. *attende singulari numero dictum, quod non facile apud veteres inuenies*, vbi vide quoque Dacierium. Alias *Quiris* notat quemlibet plebeium vilemque e populo hominem. Vid. Ferrarium *de Re Vestiar. L. I. c. 6.* et Oudendorp. ad *Lucan. II, 386.* Ibidem nota *redde Ioui dapem*, quod recte etiam Scholiastes notauit: *13. frangere ceruicem*, vbi Schol. *nouo verbo exsecratus est parricidam*, vt infra *Epod. 3. impia manu senile guttur fregerit:* etsi aliter, et vt mihi videtur, rectius sentiat Dacierius, nam haec formula non raro occurrit. vid. Regium et Burmannum ad *Quintil. Inst. Orat. VIII, 3. p. 692. 5. praegestire* et *7. deproperare apio coronas* vid. Burmann. ad *Ouid. Trist. III, 13. 17. III, 11. ludit exsultim. 12. mala vino lauere*, vbi Schol. *antiqua declinatione dixit lauere: 17. denominatus: 20. inaudax raptor*, vbi vide Baxterum et Lambinum, qui dicit: *Vox a nemine alio, quod sciam, vsurpata.*

23. Mol-

23. Mollibit pro *molliet* antique. *IV, 3. clarare: 4. indecorare: 6. noctiluca* pro luna: *16. tutela Deliae deae* paſſiue pro eo, quem tuetur dea: *9. obliuiones carpere: 11. Pegaſus terrenum equidem grauatus* vt Senec. Thyeſt. *v. 106. iam tuum moeſtae pedem terrae grauuntur.* vbi vid. Gronouius et Drackenb. ad *Sil. Ital. II, 598.* et Oudend. ad *Lucan. V, 258. 14. tauriformis Aufidus: belluoſus oceanus: 15. inimicare*, vbi Schol. *inimicat fictum verbum eſt*, quod deinde a recentioribus aeui ſcriptoribus frequentius poſitum fuit, loca indicat Reineſius ad *Petron. c. 73.* extr. *Epod. I. hoc et omne militabitur bellum: Eois intonata fluctibus hiems.* Non lubet tamen de his copioſius agere. Vidimus enim iam plerosque interpretes Horatiana verba, quae in reliquis ſcriptoribus aut nunquam, aut rarius occurrant, notaſſe. Hos igitur vna cum antiquis ſcholiis conſulant, qui plura ſcire cupiant. Nos vero, qui aliorum ſcrinia compilare nunquam didicimus, breuiter tantummodo haec indicanda nobis fuiſſe iudicauimus.

III. Graecae conſtructiones. Quod denique ad Graecam orationis ſtructuram ab Horatio in Latino ſermone expreſſam attinet, plena ſunt omnia carmina plurimis exemplis. Quoniam vero Daniel Vechnerus in *Hellenolexia ſiue Paralleniſmi Graeco-latini libris duobus* copioſiſſime de hac re egit, atque cum ex Horatio non tantum omnia, tum complura ex aliis ſcriptoribus exempla contulit atque explicauit, nos quidem lectores ad illum librum ablegabimus. Ne tamen totam intactam relinquamus hanc partem, atque etiam hoc audaciae genus, quemadmodum priora, exemplis illuſtremus, e multis adſcribamus pauca. *I, 3. audax omnia perpeti: 7.*

plu-

plurimus in Iunonis honorem. II, 12. lucidum fulgentes oculi, I, 12. animae magnae prodigus: ſuperare pugnis nobilis: 15. furit te reperire atrox: 12. blandum ducere quercus: 27. immane quantum diſcrepat: 29. doctus ſagittas tendere: 19. vultus lubricus aſpici. II, 1. notus animi paterni: 3. flores roſae: 4. penna metuens ſolui: 6. laſſus maris et viarum: 9. deſine querelarum: 3. vmbram conſociare amant: 19. turbidum laetatur. III, 4. Iniecta monſtris terra dolet ſuis: 10. animum mitior anguibus: me obiicere plorares *16. fallit ſorte beatior: 27. perfidum ridens. IV, 2. niueus videri: 4. acuta belli: 6. proſper frugum: 8. diues artium: 11. vis ederae. Epod. 5, 74. o multa fleturum caput.* Sed taedet plura adſcribere. Facile talia inueniri poſſunt

Atque haec quidem nobis de felici Horatii audacia dicta ſunto. Vtinam vero hac opera faciliorem iucundioremque illius lectionem reddidiſſemus iuuentuti! Graeca quidem multas ob cauſas immiſcuimus, etſi ea hoc ſeculo ſperni non ignoraremus. Inprimis vero fecimus hoc ideo, quod ſimilibus veterum locis inter ſe comparatis incredibile eſt, quantum ſenſus pulchri et venuſti acuatur, animusque noſter ad elegantias poetices intelligendas formetur. Digna ſunt verba Stephani *in not. ad Anacreont. c. 12.* quae a me repetantur: *Haec obſeruatione ſunt digna, vt et ipſi diſcamus caute imitari veteres, et ſi quid apud illos occurrat, quod in rem noſtram ſit, ita in vſum noſtrum illud vertere, vt non aliunde tamen petitum ſed domi natum videatur.*

VII. De

VII.

De Nemoribus in tectis aedium Romanarum obſeruatio:

edita Ienae, a. C. 1762.

Cum in omnibus rebus Romani olim maximum ſplendorem ſummamque magnificentiam adamauerunt, quae tanta plerumque fuit, vt luxuria appellari deberet, tum in domibus aedificandis, quid et ars excogitare atque efficere, et quo hominum luxus progredi poſſet, immenſis ſumtibus profuſis, optimisque e Graecia et Aſia artificibus arceſſitis oſtenderunt. Quae quidem omnia ſi accurate perpendamus, euntes per ſingulas partes diligenterque quamque rem conſiderantes, veriſſime, fateamur neceſſe eſt, Lipſium dixiſſe, periti viri eſſe, non dicam deſcribere, ſed capere, et credere, qualis Roma fuerit. Quis non miretur altitudinem aedium, quae, auctore Seneca patre in *Controuerſ. II, 9.* tanta fuit, vt, cum etiam eſſent magnae viarum anguſtiae, neque aduerſus ignem praeſidium neque ex ruinis vllum vllam in partem effugium eſſet, atque etiam Auguſtus Neroque menſuram altitudinis ad euitandum periculum praeſcriberent. vid. Strabonem *L. V. p. 395. edit. Almelou.* ibique Xylandrum. Nempe, vt eſt apud Petronium *c. 120.*

Aedificant auro ſedesque in ſidera mittunt,

ad quem locum vide quae Burmannus notauit, et adde Briſſonium in *Select. ex Iur. Ciu. Antiquit. L. 1. c. 1.* atque Heineccium in *Antiquit. Iur. L. III. tit. III, 7.* Non altae vero tantummodo, ſed amplae etiam et laxae fuerunt illae aedes, atque anguſte ſe, vt

inge-

ingeniofe dicit Valerius Maximus, pofteriori tempore habitare putabat, cuius domus tantum patuit, quantum Cincinnati rura patuerunt. Nam fic habitarunt, ait Plinius in *H. N. XXXVI, 2. qui Imperium hoc fecere, quorum agri quoque minorem modum obtinuere, quam cellaria iftorum*, nec, vt Seneca fcribit *de Benef. VII, 10. aedificia priuata laxitatem vrbium magnarum vincentia* tum confpiciebantur, aut, vt ait alio loco *ep. 91. non habebant domos inftar vrbium.* Quid dicam de columnis, nihil fuftinentibus, fed in ornamentum pofitis, e longinquis regionibus accerfitis, praealtis, marmoreis, quibus atria effulta? Seneca quidem, acerrimus omnis luxus reprehenfor, in *ep. 56. quantum* inquit *ftatuarum, quantum columnarum eft nihil fuftinentium, fed in ornamentum pofitarum, impenfae gratia*, atque Capitolinus in *Gordian. iun. 32.* villam Gordianorum via Praeneftina ducentas columnas vno periftylio habuiffe, narrat. Adeo creuerat cum annis fplendor et magnificentia Romana, et tantum mutata erat noua Roma ab illa veteri, vbi

paries circa palea fatiatus inani,
Fortuitoque luto, clauos numerabat agreftes,
Et viridi iunco gracilis pendebat arundo.
Praeterea quae fumofo fufpenfa tigillo,
Conferuabat opes humilis cafa.

Petron. *c. 135.* conf. Philander ad *Vitruu. II, 1. x.* Nolo, licet in promtu habeam, multa adferre de liminibus marmoreis, de foribus diftinctis teftudinum Indicarum putaminibus in laminas fectis, de deauratis parietibus, de pauimentis teffellatis, de laquearibus auro inducto caelatis eboreque variegatis, quae fere omnia complectitur Seneca *ep. 114. in ipfas domos impenditur cura, vt in laxitatem ruris excurrant,*

rant, vt parietes aduectis trans maria marmoribus fulgeant, vt tecta varientur auro, vt lacunaribus pauimentorum respondeat nitor. (Confer patris *Excerpt. Controu. V, 5.*) atque Statius in *sylu. L. I, 3.* in descriptione villae Tiburtinae, *v. 34.*

Quid primum mediumue canam? quo fine quiescam?
Auratasne trabes? an Mauros vndique postes?
An picturata lucentia marmora vena
Mirer? an emissas per cuncta cubilia lymphas?

Nempe eo processit quorundam insania, dicam, an ambitio? vt euripos et riuos aquarum tubis et canalibus intra domos, coenationes, tricliniaque ad vsum et voluptatem ducerent. Plinius *H. N. III, 17. In cubili natant*, ait, *pisces et sub ipsa mensa capitur, qui statim transferatur in mensam.* Seneca de *Tranquill. I. quid perlucentes ad imum aquas et circumfluentes ipsa conuiuia loquar*, vid. Fromondum et Lipsium ad *Senec. Natur. Quaest. L. I. praef. et epist. C.* Verum, vt iam dixi, nolo de his copiosius agere. Euoluat, si quis illa pluraque cognoscere cupiat, Lipsium *de magnitudine Romana*, inprimis *L. III. c. 14.* Nic. Bergierium *de viis publ. et militar. Imper. Rom. in T. X. Thes. Graeu.* inprimis *L. V. S. 2-10.* Famiani Nardini *Romam veterem*, ib. *T. IV. p. 877.* Iulium Minutolum *de domibus Romanorum* in *Thesaur. Sallengr. T. I. p. 71. sequ.* Stanislaum Kobierzyckium de *luxu Roman. L. II. c. 7. 10.* Meursium de *luxu Roman. in T. VIII. Thes. Graeu. p. 1221.* atque alios. Si quis vero velit oculos pascere, atque contemplandis pulchris veteris magnificentiae picturis delectare, ille Athan. Kircheri *Latium* inspiciat, Alexandri Donati *Romam veterem ac recentem* in *Thes. Graeuiano T. III. p. 475.* inprimis *L. I. c. 24-27. Descriptionem*

nem

nem faciei variorum locorum vrbis Romae tam antiquae quam nouae, *deformatae a* Liuino Cruylio ib. *T. IV.* atque dignum illud Roberti Castelli magnificentia Britannorum opus: *The Villa's of the Ancients illustrated. Londini*, *1728.* Iuuat vero hoc loco de eo magnificentiae Romanae genere copiosius paullo exponere, quo fecerunt, vt cum ipsa natura rerum certamen Romani instituisse viderentur. Nam in Poëtarum carminibus, aliorumque auctorum scriptis legimus, habuisse illos in aedium tectis arbores nemoraque et hortos. Tanta erat audacia, vt etiam, quae natura denegauerat, per artem tentarent! Nobis haec res, cum ob ipsam magnitudinem, tum quoniam hac disputatiuncula aliquot veterum scriptorum locis lucem accendi censemus, digna visa est, quae et illustraretur et explicaretur. Quod prius quam faciamus, quaedam monenda esse ducimus, quae ad propositam rem melius intelligendam faciant.

Vehementer delectabantur veteres Romani hortis, in quibus et aedificia habuerunt amoenitatis gratia exstructa, et habitarunt etiam saepe, vt docte ostendit Barn. Brissonius in *Select. ex Iure Ciu. Antiqu. L. III. c. 13.* add. Georg. Greenium de *rusticat. Roman. c. 2. p. 696. in T. I. Thes. Sallengr.* et *de villarum antiquarum structura*, ibid. *p. 731.* inprimis *c. 6.* Dresemum ad *Iscanum p. 48.* Casaubonum ad *Sueton. Aug. c. 73.* Donatum *l. c. L. III. c. 23. p. 786.* Conueniebant etiam in iis viri docti, disputabant de rebus scitu dignis, legebant aliquid aut meditabantur, de quibus copiose exponit Io. Georg. Guil. Volckhart in Dissert. *de hortis veterum museis*, quae exhibetur in *Vol. III. Actor. Societ. Latin. Ienens. p. 182. sequ.* Porro exstruxerunt in hortis gestationes, qui-

bus aut iumentis vehebantur, aut geſtabantur lectica. Hic locus circumdatus fuit et clauſus arboribus variis, vt apparet clare e Plinio *L. I. ep. 6. ab his geſtatio in modum circi, quae buxum multiformem humilesque et retentas manu arbuſculas circumit*, atque *II. ep. 17. Geſtatio buxo, aut rore marino, vbi deficit buxus, ambitur.* Et de his capiendus eſt etiam locus Iuuenalis, vt recte ibi Io. Britannicus vidit, *Sat. IV, 5.*

Quid refert igitur, quantis iumenta fatiget
Porticibus, quanta nemorum vectetur in vmbra?

quem tamen locum minus recte cepit Gangaeus, notans, *in ipſis beatorum domibus vrbanis nemora*, aduocatis locis duobus ex Itinerario Rutilii et Horatii carminibus, quae nos infra dabimus. Sed neque pertinent huc, et locus Iuuenalis longe aliter, vt oſtendimus, capiendus eſt. Rectius huc vocare videtur Kobierzyckius Horat. *Ep. I, X, 22.*

Nempe inter varias nutritur ſylua columnas,
Laudaturque domus, longos quae proſpicit agros.

qui docet multas fuiſſe arbores ibi topiario opere modice inflexas, quibus variae effigies, vt hominum, nauium, turrium effictae fuiſſent. Vide Vitruuium *VII, 5.* et Bernaldini Baldi *Lexicon Vitruuianum*, auctum a Ioanne Laeto *p. 132.* Conſule etiam de *Geſtatione* Lipſium in *Epiſt. Miſc. Cent. ep. XI.* et Gronouium ad *Senec. de Benef.* III, *16, 9.* Tantopere igitur cum Romani arboribus et hortis delectarentur, tandem in ipſa vrbe, in ipſis aedibus ſyluam habere velle coeperunt. *Intra aedificia veſtra*, eſt in *Excerpt. Controu. V, 5.* apud Senecam, *vndas et nemora comprehenditis.* Exponamus hac de re accuratius.

Inuen-

Inuentor quis fuerit nemorum in aedibus, non reperio, neque quo tempore primum hoc ausi sint Romani, constat. Plinius quidem in *H. N. IX*, *79*. dicit: *Sergius Orata, vt qui primus pensiles inuenerit balineas*, et Valerius Maximus *IX*, *1*. *C. Sergius Orata pensilia balnea primus facere instituit: quae impensa leuibus initiis coepta ad suspensa calidae aquae tantum non aequora penetrauit.* Sed qui primos Romae pensiles hortos exstruxerit, non relatum legi. Posset quidem aliquis e Plinii *H. N. XV*, *14*. *Aeque peregrina sunt zizipha et tuberes, quae et ipsa non pridem venere in Italiam. Haec ex Africa, illa ex Syria. Sex. Papinius, quem consulem vidimus, primus vtraque attulit, Diui Augusti nouissimis temporibus, in castris sata, baccis similiora, quam malis, sed aggeribus praecipue decora, quoniam et in tecta iam syluae scandunt:* posset, inquam, aliquis ex his verbis coniicere, Plinii demum aetate illa nemora in tecta translata fuisse. Sed iam alii ante Plinii aetatem rei mentionem iniecerunt, vt Horatius et Tibullus *III*, *3*, *15*.

Quidue domus prodest Phrygiis innixa columnis,
Taenare, siue tuis, siue Caryste, tuis?
Et nemora in domibus sacros imitantia lucos?

Quare malim Plinium sic interpretari: maxime auctum fuisse illius tempore hunc luxum: iam antea habuisse Romanos arbores in tectis: sed non tantos sumtus erogasse, non tam altas amplasque fuisse illas arbores. Credo tamen, Romanos exemplum horum hortorum petiisse aut a Thebanis aut a Babyloniis. Certe hos iam longe antea hortos pensiles habuisse notum est, de quibus pauca dicamus. De illis quidem Plinius *H. N. XXXVI*, *20*. *Legitur et pensilis hortus, immo vero totum oppidum, Aegyptiae*

 The-

Thebae, exercitus armatos subter educere solitis regibus, nullo oppidanorum sentiente. Ingens vero opus et admirabile! Et quid dicamus de hortis Babylonicis? id est, de eo opere, quod, si attente omnia consideras, fere vires humanas et fidem omnem superare videtur. Positis enim tantam molem sustinentibus testudinibus in solo, atque aliis impositis aliis, sensim paullatimque excrescente altitudine, admirabile illud opus longorum camporum, syluarum, vallium, riuulorumque ab ipsa natura factorum habebat speciem. Sed adscribamus duo maxime illustria loca de his hortis, Diodori Siculi alterum, alterum Curtii. Ille legitur *L. II. p. 98. ed. Hanou. an. 1604.* Ὑπῆρχε δὲ καὶ ὁ κρεμαστὸς καλούμενος κῆπος παρὰ τὴν ἀκρόπολιν, οὐ Σεμιράμιδος, ἀλλά τινος ὕστερον Σύρου βασιλέως κατασκευάζοντος χάριν γυναικὸς παλλακῆς. Ταύτην γάρ φασιν οὖσαν τὸ γένος Περσίδα, καὶ τοὺς ἐν τοῖς ὄρεσι λειμῶνας ἐπιζητοῦσαν, ἀξιῶσαι τὸν βασιλέα, μιμήσασθαι διὰ τῆς τοῦ φυτουργίου φιλοτεχνίας τὴν τῆς Περσίδος χώρας ἰδιότητα. (vide Iosephum *Antiquit. Iud. X, 11. p. 538.* et *contra Apion. I, 19. T. II. p. 451. edit. Hauercamp.*) Ἔστι δ' ὁ παράδεισος τὴν μὲν πλευρὰν ἑκάστην παρεκτείνων εἰς τέτταρα πλέθρα, τὴν δὲ πρόσβασιν ὀρεινὴν καὶ τὰς οἰκοδομίας, ἄλλας ἐξ ἄλλων ἔχων, ὥστε τὴν πρόσοψιν εἶναι θεατροειδῆ. Ὑπὸ δὲ ταῖς κατεσκευασμέναις ἀναβάσεσιν ᾠκοδόμηντο σύριγγες, ἅπαν μὲν ἀναδεχόμεναι τὸ τοῦ φυτουργίου βάρος, ἀλλήλων δ' ἐκ τοῦ κατ' ὀλίγον ἀεὶ μικρὸν ὑπερέχουσαι κατὰ τὴν πρόσβασιν. Ἡ δ' ἀνωτάτη σύριγξ οὖσα πεντήκοντα πηχῶν τὸ ὕψος, εἶχεν ἐπ' αὐτῇ τοῦ παραδείσου τὴν ἀνωτάτην ἐπιφάνειαν συνεξισουμένην τῷ περιβόλῳ τῶν ἐπάλξεων· ἔπειθ' οἱ μὲν τοῖχοι πολυτελῶς ἠσφαλισμένοι τὸ πάχος εἶχον ποδῶν εἴκοσι δύο,

τῶν

τῶν δ' ἐξόδων ἑκάστη τὸ πλάτος δέκα. Τὰς δ' ὀροφὰς κατεσκεύαζον λίθιναι δοκοὶ, τὸ μὲν μῆκος σὺν ταῖς ἐπιβολαῖς ἔχουσαι ποδῶν ιϛ τὸ δὲ πλάτος τεσσάρων. Τὸ δ' ἐπὶ ταῖς δοκοῖς ὀρόφωμα πρῶτον μὲν εἶχεν ὑπεστρωμένον κάλαμον μετὰ πολλῆς ἀσφάλτου, μετὰ δὲ ταῦτα πλίνθον ὀπτὴν διπλῆν ἐν γύψῳ δεδεμένην. Τρίτην δ' ἐπιβολὴν ἐπεδέχετο μολιβᾶς στέγας πρὸς τὸ μὴ διϊκνεῖσθαι κατὰ βάθος τὸν ἐκ τοῦ χώματος νοτίδα. Ἐπὶ δὲ τούτοις ἐσεσώρευτο γῆς ἱκανὸν βάθος, ἀρκούμενον ταῖς τῶν μεγίστων δένδρων ῥίζαις. Τὸ δ' ἔδαφος ἐξωμαλισμένον πλῆρες ἦν παντοδαπῶν δένδρων τῶν δυναμένων κατά τε τὸ μέγεθος καὶ τὴν ἄλλην χάριν τοὺς θεωμένους ψυχαγωγῆσαι. Αἱ δὲ σύριγγες τὰ φῶτα δεχόμεναι ταῖς δι' ἀλλήλων ὑπεροχαῖς, πολλὰς καὶ παντοδαπὰς εἶχον διαίτας βασιλικάς. Μία δ' ἦν ἐκ τῆς ἀνωτάτης ἐπιφανείας διατομὰς ἔχουσα καὶ πρὸς τὰς ὑπαντλήσεις τῶν ὑδάτων ὄργανα, δι' ὧν ἀνεσπᾶτο πλῆθος ὕδατος ἐκ τοῦ ποταμοῦ, μηδενὸς τῶν ἔξωθεν τὸ γενόμενον συνιδεῖν δυναμένου. Haec ille. Nunc audiamus Curtium *V, 1, 32. Super arce vulgatum Graecorum fabulis miraculum, penſiles horti ſunt, ſummam murorum altitudinem aequantes, multarumque arborum vmbra et proceritate amoeni. Saxo pilae, quae totum onus ſuſtinent, inſtructae ſunt, ſuper pilas lapide quadrato ſolum ſtratum eſt, patiens terrae, quam altam iniiciunt, et humoris, quo rigant terras: adeoque validas arbores ſuſtinent moles, vt ſtipites earum VIII. cubitorum ſpatium craſſitudine aequent, in L. pedum altitudinem emineant, et frugiferae ſint, vt ſi terra ſua alerentur. Et quum vetuſtas non opera ſolum manu facta, ſed etiam ipſam naturam paullatim exedendo perimat, haec moles, quae tot arborum radicibus premitur, tantique nemoris pondere onerata eſt,*

inuiolata durat, quippe XX. lati parietes ſuſtinent vndecim pedum interuallo diſtantes, vt procul viſentibus ſyluae montibus ſuis imminere videantur. Syriae regem Babylone regnantem hoc opus eſſe molitum, memoriae proditum eſt, amore coniugis victum: quae deſiderio nemorum ſyluarumque in campeſtribus locis virum compulit, amoenitatem naturae genere huius operis imitari. Non opus eſſe exiſtimo, plura de his hortis addere, quos merito Io. Seruilius *de mirandis antiquorum operibus L. I. c. 73. in Theſ. Sallengr. T. I. p. 1166. inuſitatum terris portentum*, et *plus quam humanarum virium opus*, atque *monſtroſiſſima hortorum penſilium aedificia* appellat. Satis ex his duobus locis eorum ratio cognoſci poterit. Caeterum conſule, ſi plura deſideras, Philonem Byzantinum de *ſeptem orbis ſpectaculis in Theſ. Gronou. T. VIII. p. 2650.* Seruilium *l. c.* et Cellarium in *Geogr. Ant. L. III. c. XVI. §. 5. p. 632.* ed. nou. et Pridauium in *Connex. Vet. et N. Teſt.* Fortaſſe igitur Romani etiam illius operis Babylonici admiratione perculſi atque ad ſimilium hortorum imitationem in aedibus ſuis adducti ſunt. Quid? quod forte etiam *penſiles horti* vocati ſunt. Nam apud Senecam *Nat. Quaeſt. L. I. praeſ. nec poteſt ante contemnere porticus et lacunaria clare fulgentia, et* tonſiles *ſyluas et deriuata in domos flumina, quam totum circumeat mundum.* Quidam libri habent *penſiles*, quod pene eſt, addit Lipſius, vt probem. Gronouius vero intelligit reciſas et in pumilionum breuitatem coactas: atque Fromondus vrbanas et caſtigata ramorum laſciuia tonſiles ſyluas, quas in gratia et luxu ditiorum fuiſſe ait. Certe non flores illos tantummodo aut arbuſculas habuiſſe in tectis ex locis compluribus apparere puto.

Poſſet

Poſſet enim putare aliquis, eos in domibus Romanorum hortos fuiſſe hortos Adonidis, aut flores, herbas, plantasque vaſculis humo oppletis incluſas. Tales certe deſcribit hortos Adonidis Euſtathius ad *Odyſſ.* Λ. κῆποι Ἀδώνιδος φυτάρια ταχὺ ἀναθάλλοντα ἔσω χύτρας ἢ ἀῤῥίχȣ καὶ ὅλως κοφίνȣ τινὸς, quorum imaginem in gemma expreſſam vide apud Gorium in *Theſ. Gemmar. aſtrifer. T. I. CXVII.* et Begerum in *contemplatione quarundam gemmar. Dactylioth. Gorlaei. p. 20. et 21.* Tales hortos Adonidis ſuſpicor ante feneſtras, vt noſtra quoque aetate, veteres habuiſſe, eosque indicare et Martialem *XI, 19.*

Donaſti, Lupe, rus ſub vrbe nobis,
Sed rus eſt mihi maius in feneſtra,

atque Plinium *H. N. XIX, 4. p. 579. ed. Hard. Iam in feneſtris ſuis plebs vrbana in imagine hortorum quotidiana oculis rura praebebant, ante quam praefigi proſpectus omnis coëgit multitudinis innumeratae ſaeua latrocinatio.* Atque tales fortaſſe Adonidis horti etiam indicantur ab Alfeno *l. 17. Dig. ſi ſeruit. vindic. Cum in domo Gaii Seii locus quidam aedibus Annii ita ſeruiret, vt in eo loco poſitum habere ius Seio non eſſet, et Seius in eo ſyluam ſeuiſſet: in qua labra et* (tenes) *cucumellas poſitas haberet etc.* Cuiacius quidem in *Obſeruat. et Emendat. L. X. c. 15. p. 315. edit. Hal.* vbi de hoc loco agit, aduocat primum Horatii locum. *Nempe inter* — quem tamen huc non pertinere iam ſupra oſtendimus, et e Cicerone *contra Verrem L. I. c. 19. Quas iſte* (nam non recte locum Cuiacius attulit) *tabulas illinc, quae ſigna ſuſtulit* — *Quae ſigna nunc Verre vbi ſunt? illa quaero, quae apud te nuper ad omnes columnas, omnibus etiam intercolumniis, in ſylua denique diſpoſita ſub dio vidimus.* Sed et hunc locum malim de

gestationibus exponere, quae exornatae talibus tabulis et signis esse poterant. In his igitur a viro summo dissentio. Quod vero auctoritate Seruii *ad Georg. I, 153. subit aspera silua — lappaeque tribulique*, syluam etiam de herbis dici docet, quod locum de *vasis quibusdam, qualia pleraque videntur in hortis pensilibus posita*, intelligere videtur, lubenter me assentientem habet. Non ad nemora, sed ad flores et arbusculas vasis efflorescentes pertinet locus Iauoleni *l. 26. Dig. de instruct. Dolia fictilia, item plumbea, quibus terra adgesta est, et in his viridaria posita aedium esse Labeo, Trebatius putant: ita id verum puto, si ita illigata sint aedibus, vt ibi perpetuo posita sint.*

Ne igitur tales hortos Adonidis positos in tectis fuisse existimem, eo adducor, quod saepius scriptores *syluarum*, et *nemorum*, et *viridariorum* mentionem faciunt. Sic apud Vitruuium *VI, 6. Etsi autem* (loquitur de oecis) *sint ita longi et lati, vti duo triclinia, cum circuitionibus inter se spectantia possint esse collocata, habeantque dextra ac sinistra lumina fenestrarum valuata, vti* viridia de tectis *per spatia fenestrarum prospiciantur*, etsi hoc loco Philander legere malit *lectis*, quod tamen nescio an probandum sit. Sic Seneca pater inquit in *Exc. Controu. V, 5. Scilicet vt domus ad coelum omne conuersa brumales aestus habeat, aestiua frigora et non suis viribus intra istorum penates agatur annus, alunt in summis culminibus* mentita nemora, *et nauigabilium piscinarum freta*, atque in *Controu. II, 9. Quin etiam montes syluaeque in domibus marcidis et vmbra fumoque viridibus* reliqua: nam sunt, quae sequuntur, valde corrupta. Et ne ille oratione et verbis

bis rem augere videatur, dabo alios locos e Seneca Philoſopho. *De ira L. I. extr. Ebore ſuſtineri vult,* (ſcil. luxuria) *purpura veſtiri, auro tegi, terras transferre, maria concludere, flumina praecipitare,* nemora *ſuſpendere*, et in *ep. CXXII. Non viuunt contra naturam, qui* pomaria *in ſummis turribus ſerunt? quorum* ſyluae *in tectis domorum ac faſtigiis nutant, inde ortis radicibus, quo improbe cacumina egiſſent.* Atque pariter Horatius *III, 10, 5.*

Audis, quo ſtrepitu ianua, quo nemus
Inter pulchra ſitum tecta remugiat?

vbi neſcio, cur Bentleius legere malit *ſatum* pro *ſitum*, tantoque ſtudio illam lectionem defendat. Equidem ſitas potius arbitror arbores illas, quam ſatas, quod hoc longioris temporis eſt, atque arbores non niſi multis annis ad aliquam altitudinem excreſcunt. Male mea ſententia huc aduocauit Torrentius alium locum, quem ſupra laudauimus, cuiusque alium ſenſum eſſe diximus, ex epiſtolis: *Nempe inter varias etc.* Laudat etiam e Cornelii Nepotis *vita Attici, XIII, 2. Domum habuit in colle Quirinali — cuius amoenitas non aedificio, ſed ſylua conſtabat. Ipſum enim tectum antiquitus conſtitutum plus ſalis quam ſumtus habebat.* Vltima adſcripſimus ideo, quoniam ſuſpicamur, non fuiſſe ſyluam illam in tecto, ſed aut ante fores fortaſſe aut in porticu, vbi fuiſſe arbores ſupra vidimus. Nam certe ſumtuoſum fuiſſe opus nemus in tecto, et ſatis apparet, et mox clarius oſtendemus. Denique pertinet huc locus Iauoleni *l. 12. Dig. de ſeruitut. praed. vrb. Aedificia, quae ſeruitutem patiantur, ne quid altius tollatur, viridia ſupra eam altitudinem habere poſſunt, at ſi de proſpectu eſt, eaque obſtatura ſunt, non poſſunt.* Nam profecto putes, non loqui de arbuſculis Iauolenum:

ſed de maioribus arboribus. Huc video trahere quosdam etiam locum Virgilii, *L. VII. Aeneid. v. 170.*

Tectum auguſtum, ingens, centum ſublime columnis,
Vrbe fuit ſumma, Laurentis regia Pici,
Horrendum ſiluis et religione parentum.

Sed primum, non ſatis clare locutum eſſe poetam de ſiluis in tectis, apparere arbitror. Potuerunt arbores ante domum eſſe, vt laurus ante domum Auguſti, de qua Ouidius *Triſt. III, 1, 39.*

Cur tamen adpoſita velatur ianua lauro,
Cingit et auguſtas arbor opaca fores?

Deinde ſi recte illi mentem Virgilii ceperunt, neſcio, an liberari poſſit Virgilius culpa negligentiae cuiusdam, quam mihi in hoc loco animaduertiſſe videor. Eſtne quaeſo credibile, regiam Latini illis priſcis temporibus tanto ſplendore illuſtrem fuiſſe? Quis credat, antiquo illo aeuo regem eum luxum, quo recentior aetas conſpicua fuit, adamaſſe? Non ignoro, et pictores et poëtas ſimiles errores commiſiſſe, et tribuiſſe antiquis temporibus ea, quae recentiorum propria fuerunt. Praeter alios exempla dedit Stanleius ad *Aeſchylum p. 715.* Seneca in *Thyeſt. v. 464.* aperte reſpicit ad mores Romanorum,

nulla culminibus meis
Impoſita nutat ſylua.

Loquitur de nemoribus in tectis, de quibus etiam Virgilium in loco memorato loqui exiſtimant. Sed iudicent de hoc eruditiores. adde etiam Aug. van Staveren in *Miſcell. Dorvill. T. VIII. p. 812.*

Quas habuerint in tectis arbores, fere coniicere poſſumus e Valerio Maximo et Plinio, quorum verba adſcribemus. Ille igitur *IX, 1, 4. Cn. Domitius L.*

Craſſo

Craſſo collegae ſuo altercatione orta obiecit, quod columnas Hymettias in porticu domus haberet. Quem continuo Craſſus, quanti ipſe domum ſuam aeſtimaret, interrogauit. Atque vt reſpondit ſexagies ſeſtertio, quanto ergo eam, inquit, minoris fore exiſtimas, ſi decem arbuſculas inde ſuccidero. Ipſo tricies ſeſtertio, ait Domitius. Tunc Craſſus, vter igitur luxurioſior eſt? egone, qui decem columnas centum millibus nummum emi? an tu, qui decem arbuſcularum vmbram tricies ſeſtertium ſumma compenſas? Sermonem oblitum Pyrrhi, immemorem Annibalis, iamque transmarinorum ſtipendiorum abundantia oſcitantem: aliquanto tamen inſequentium ſeculorum aedificiis et nemoribus *anguſtiorem.* Eamdem hiſtoriam Plinius in *H. N. L. XVII. princ.* commemorat. *Nobiliſſimarum*, inquit, *gentium ambo, Craſſus atque Domitius cenſuram poſt conſulatum ſimul geſſere anno conditae vrbis ſexcenteſimo ſexageſimo ſecundo, frequentem iurgiis propter diſſimilitudinem morum. Tunc Cn. Domitius, vt erat vehemens natura, praeterea accenſus odio, quod ex aemulatione auidiſſimum eſt, grauiter increpuit, tanti cenſorem habitare, pro domo eius centum millia nummorum identidem promittens, et Craſſus, vt praeſens ingenio ſemper et faceto lepore ſolers concedere ſe reſpondit, exceptis ſex arboribus, ac ne vno quidem denario, ſi adimerentur, emptam volente Domitio, Craſſus vtrumne igitur ego ſum, inquit, quaeſo, Domiti, exemplo grauis, et ab ipſa cenſura notandus? Qui in domo, quae mihi haereditate obuenit, comiter habitem? an tu, qui tanti ſex arbores aeſtimes? Eae fuerunt loti, paruula ramorum opacitate laſciuae.* Nolo equidem hariolari, neque ſententiam meam oraculi vim habere cupio. Sed ſuſpicor eas lotos,

de

de quibus Plinius loquitur, fuiſſe in tecto aedium. Volckhart *l. c. p. 242.* vbi paucis de hac re agit, putat etiam platanos fuiſſe poſitas in aedibus. Delectabantur quidem veteres hac arbore, amabantque illam cum in porticibus, tum in thermis, atque villis ob latitudinem foliorum et ramorum vmbram, platanisque inprimis conſerebant loca, vbi ſe oblectare ſolebant. vid. praeter Politum ad *Euſtath. Il. T. I. p. 427.* et Gronouium in *Obſeru. I, 5.* Kobierzyckium *l. c. p. 184.* et inprimis Burmannum in libro *de vectigalibus Pop. Rom. c. 12. p. 210.* qui etiam ad *Petron. c. 131. p. 807.* docet, ſolitos maxime veteres ſub platano genio indulgere; vide quoque Erhardum ad eund. *p. 778.* qui praeter alia obſeruarunt, platanum, quae tantis olim apud Romanos in deliciis fuit, vt etiam vino infuſo enutriretur, quoniam id maxime prodeſſe radicibus compertum erat, nunc ignorari. Sed nullo haec coniectura argumento niti videtur. De his ſyluis loquitur etiam Rutilius in *Itinerar. v. 111.*

Quid loquar incluſas inter laquearia ſyluas,
Vernula quae vario carmine ludat auis?

Sed eſt hic locus paullum obſcurus et fortaſſe etiam corruptus. Graeuius legit: *Vernula quam vario carmine ludat auis*, et interpretatur: Quid loquar, quam vario carmine ludant aues in illis natae nemoribus, quae in ipſis aedium Romanarum faſtigiis erant poſita? Barthius non bene coniicit: *qua Iſmario*, ita vt Attica Thraciaque auis vernula Romae canat: Scriuerius ſuſpicatur: *garrula.* Burmannus ad *Petron. c. 120. p. 733.* neſcire ſe dicit, an intelligatur auis, quae vere canat, et explicat vernulam auem domi natam, atque in notis ad Rutilium *qua* legit. Ita etiam cenſet Heinſius ad *Petron. c. 46. p. 307.*

nec

nec ſollicitandum hunc locum eſſe dicit, et ſic legit Lipſius de *Magnit. R. p. 195.* atque etiam ipſe ita legendum eſſe arbitror, modo *ludat* mutes in *ludit.* *Qua* vero ſumo pro *vbi*, quo ſenſu ſaepe occurrit. Horat. *II, 3. Qua pinus ingens albaque populus etc.* vid. Erhardum ad *Petron. c. 89. v. 29. Celſa qua Tenedos mare dorſo repellit etc.* nubem exemplorum dat Ciofanus ad *Ouid. ex Pont. I, 1, 12. Qua ſteterant arces, pars vacat illa tibi.* Id. *Ep. XI, 28. Ponti qua plaga laeua iacet.* Quod vero ad *vernula* attinet, certe prope malim huc trahere illa Ouidii *Triſt. III, 12, 8. Indocilique loquax gutture vernat auis*, vbi vide Burmannum, qui aduocat e Paullino *C. VII. vocibus vernare nouis*, etſi plurimis eſt *vernula* hoc loco οἰκογενής. Vtut eſt, certe hoc inde diſcimus eo proceſſiſſe voluptatis cupiditate Romanos, vt haberent aues in nemoribus illis. Noluerunt deeſſe aliquid, quod ruris atque agri ſpeciem referret. Quod vero Barthius in *Aduerſ. L. VII. c. 10. p. 330.* qui legit *queis*, Nymphaeum hic intelligi putat, neſcio quomodo probari poſſit, Rutilium, intelligere aedes illas amoenas, imaginibus Nympharum ornatas, et aquarum ſalientium frigore iucundas, de quibus vid. Georg. Fabricius in *deſcript. Vrbis Romae*, in *Theſ. Graeu. T. III. p. 458.* Pancirollus de eodem argumento, ib. *p. 341.* et Alex. Donatus *de vrbe Roma*, ib. *L. III. c. 11. p. 709.*

Sed exponendum eſt etiam de ſtructura talium tectorum, quam cum Lipſio ad *Senec. ep. CXXII.* puto talem fuiſſe. Tecta primum fuerunt plana et ſine faſtigio, et deinde terra ſupra trabes ſiue etiam fornices latericios aggeſta. Certe talia plana tecta fuiſſe olim in orientis maxime regionibus, conſtat

inpri-

inprimis e loco classico Eustathii ad *Odyss. K. 559. p. 1669.* διὰ τὸ τὰ δώματα μὴ κεραμωτὰ, ἀλλ᾽ ὁποῖα καὶ νῦν ὡς εἰκὸς μυριαχοῦ ὧν ταῖς δοκοῖς γὴ ἐπαμᾶται. ὡς ἐντεῦθεν τὴν στέγην χρήσιμον εἶναι καὶ πρός τὸ ἐγκοιμᾶσθαι. Vide prae aliis Erasm. Schmidium ad *Matth. X, 27.* Atque etiam Romanos antiquis temporibus talibus tectis vsos fuisse, docetur in *Vitruuiano Lexico p. 51.* priuatorum domus tecta habuisse plana, non in altum surgentia: domus Caesarum et procerum cum fastigio fuisse aedificatas, quod proprium fuisset templorum et aedium sacrarum: Primum Caesarem fastigium habere coepisse in domo sua, inter alia diuinitatis insignia: hoc sequentes Caesares imitatos esse, et postea etiam alios proceres vsurpasse: vbi simul laudatur Salmasius ad *Solinum p. 1213.* vide Minutolum de *domibus Roman. l. c. p. 87.* Fortasse pertinet quoque huc Martialis *locus XII, 57.*

Cui plana summos despicit domus montes,
Et rus in vrbe est, vinitorque Romanus.

Etsi non ignorem, hunc locum vulgo aliter explicari. Sed huc illum spectare vt crederem, commouit me mentio *planae domus.* Verum haec hactenus.

Nihil certe restare mihi videtur, quod hanc rem aut illustret, aut explicatione quadam indigere videatur. Quare, consideratis immensis Romanorum operibus, consumtis nunc maxima ex parte longa annorum serie, in verbis Lipsii pulcherrimis desinamus. *O spes,* et *res humanae, quid estis? quo itis? huc flectite. En potens et superba illa Roma, quae* vrbs aeterna *audiebat, quae* victura cum seculis, *quae* Deorum opus et cura *tota periit, condita in ruinis suis iacet, et laboramus eruere et adstruere magnitudini eius fidem. de Magnit. Rom. L. III. c. 2.* Atque: *Illa*

ipsa

ipſa rerum gentiumque domina et falſo aeterna vrbs vbi eſt? obruta, diruta, incenſa, inundata, periit non vno leto, et ambitioſe hodie quaeritur, nec inuenitur in ſuo ſolo, de *Conſtant. L. I. c. 16.* conf. Poggius Florentinus *de fortunae varietate vrbis Romae et ruina eiusdem*, in *Theſ. Sallengr. T. I. p. 502.*

VIII.

Epiſtola ad amicum de minutiarum ſtudio et rixandi libidine grammaticorum quorundam.

a. C. 1761.

Vidiſti igitur, Vir amiciſſime, quae in me ſcripta ſunt. O ſi pectus quoque meum videres! non magis haec curo, quam ſi me puerulus laeſerit aut muliercula. Manet manebitque ille contra omnes maleuolorum impetus paratus armatusque animus. Egone ad turbellas haſce commouear? in aciem prodeam? manum conſeram? non faciam. Immo gratum mihi eſt, a quibusdam hominibus vituperari. Nam, vt ille recte dicit: *quid laetaris, quod hominibus iis laudaris, quos non potes ipſe laudare?* ita cur doleam, me ab iis reprehendi, quos nunquam non ipſe vituperaui? Mordeant, latrent, obſtrepant, clament, ſcribant, ſomnient etiam, edant Antiklotzios, et Hypoklotzios centum. ridebo, crede, adfatim ridebo.

Neque enim ignoras, quod de Dione Alexandrino, Philoſopho, memoriae proditum eſt. Lepida hercle! eſt hiſtoria. Inſecutus erat virum bonum con-

conuiciator quidam totum per diem, nunquam a latere illius diſceſſerat, euomueratque omnia, quaecunque bilis et mens ſuggeſſerat improba. Quid Dio? negligere homuncionem et ſilere. Ille vero miſere cruciari, ſudare, angi, prope disrumpi. Nihil tandem, inquit, reſpondes? nihil. Quid multa? miſellus conuiciator, hoc audito, tanto dolore adfectus eſt, vt ſe repente proriperet atque ſuſpenderet. Poteratne acerbius Dio iſtum punire? Nullum atrocius ſupplicium, nullum acerbius tormentum obtrectatori admoueri poteſt, quam ſi ſileas. Hoc iſtud hominum genus cruciat, hoc angit, hoc ei furorem et rabiem immittit. Scribunt plerique, vt reſcribas, atque ipſis rurſus aliquid ſcribendi occaſionem praebeas. Conuiciantur, vt reſpondeas, atque ipſi impune deinde ſordibus te commaculare poſſint. Quid igitur his gladiatoribus facias? fortiter eos contemnas. Hoc eis febris erit.. Me vide, ſaepius in me homines, quorum pleroſque ignoro, (en! quam parum curioſus ſim, qui, nigri an albi mei aduerſarii ſint, neſciam!) impetum fecerunt. At, o quietem in his turbis meam et tranquillitatem! Centies eandem cantilenam repetant, citius e pumice aquam, quam a me vocem elicient. Non deſunt fortaſſe huic homini ſales et minaces iambi:

Et nos tela manu ferrumque haud debile dextra
Spargimus, et noſtro ſequitur de vulnere ſanguis.

Sed haec olim fuerint. Nunc alia mens eſt: non lubet, non iuuat in arenam deſcendere. Et quantus foret ſapientioribus riſus? nec immerito. Quae enim ſunt illa tandem, quae mihi crimini dant?

Ἄρν᾽ ἄρνα μέλαιναν παῖδες ἐξενέγκατε,
Τυφὼν γὰρ ἐκβαίνειν παρασκευάζεται.

Alius clamat, me verbum, quod non in Cicerone legatur, vſurpaſſe: queritur alius, me ſyllabam, quam Virgilius produxerit, corripuiſſe. Perii, actum eſt, ilicet! Dignus ſum, qui e republica eiiciar, dignus, qui ex humana ſocietate proſcribar. Atque haec crimina fronte graui et voce ſonora enarrant: hanc fabulam in coetibus iuuenum aut muliercularum repetunt. Nunc demum, quam vere Gellius dixerit, cognoui: *Reprehenſores audaculi verborum, qui perpaùca eademque a vulgo protrita legerunt, qui habent nonnullas diſciplinae Grammaticae inauditiunculas, partim rudes, incoatasque, partim nouas, eas, quaſi puluerem*, cum adoriuntur quemque, *adſpergunt.* (*) Quid autem ego faciam? ignoſcite Smetiani manes, et vos, Nizoliani manes, ignoſcite.

Paratus expiare, ſeu popoſceris
Centum iuuencos, ſiue mendaci lyra
Voles ſonari.

Quid enim miſello mihi fiet, ni vos placarim? Sed vt ſerio agam, dic mihi, an cum fructu, cum laude eiusmodi hominibus reſponderi poſſit? Eſt profecto in illis tantum certandi ſtudium, vt, quicquid dicas aut laudes, iſti negent et vituperent. Lubetne exemplum audire? Legiſti procul dubio Scaligeri Exercitationes aduerſus Cardanum, quas, niſi nomen auctoris in fronte libri videas, ab Hippia Eleo, aut Protagora Abderite, aut alio Sophiſta conſcriptas eſſe putes. Vnum exemplum e multis eligamus. Laudat Cardanus pſittacum ob fulgorem et varietatem coloris. Quid Scaliger? eundem deformem eſſe ait ob foeditatem roſtri et crurum atque ob colorem fuſcum, cinericium, ideoque triſtem. Si Cardanus ea dixiſſet,

(*) *vid. N. A. V.* 21.

ſet, vere iudicat Voſſius, (*) prouocaſſet Scaliger ad iudicia poetarum atque adeo omnium hominum: nunc quia ille pulchri dixit coloris eſſe, hic deformis contendit. Veriſſime haec Voſſius. Si quis Ariſtarchorum meorum clamorem audiat, nae! ille me omnium litterarum rudem, aut illi ſimilem eſſe putet, neceſſe eſt, qui barbaris olim temporibus in Gallia bellam hanc in lapide inſcriptionem propoſuerat: BONVM. MEMORIVM. EPITHAPHIVM. HVNC. (**) Sin vero rem ipſam cognoſcas, ridebis ſuauiter. Sed quid multa? Duo praecipue ſunt, Vir doctiſſime, quae ſplendorem litterarum obſcurant, illarumque dignitati detrahunt: minutiarum ſtudium et rixandi libido Grammaticorum. Nomen ſi Critici audias aut Grammatici, magnificum aliquid et magnum indicari putes. Legi in Gallia medicum quendam aegroto dixiſſe, faciendam eſſe in illius corpore *phlebotomiam*. Aegrotus verbo hoc audito quaſi exanimatus et ingenti terrore perculſus, neſcio quid horrendum remedium a medico proferri putat, illudque ſe nunquam experiri velle dicit. Poſteaquam vero ille vernaculo ſermone peregrinam vocem expoſuerat, terror in riſum et iocum abiit (***). Ita tu quoque attentius paullo ſi Criticorum, quorum nomen tibi venerabile videtur, libros, artem, ingenia, mores adſpicias, quam tenuiter de illis ſenties! Neſcio profecto, quomodo acciderit, vt ſemper homines, qui docti videri vellent, omnem eruditionem in verbis ponerent. Vide Varronis, Nonii, Iſidori, Gellii et priſcorum apud Gellium Grammaticorum Chryſippeas argutias: vide Stoicorum de verbis diſputa-

(*) *de orig. et progr. Idolol. L. III. c.* 801.

(**) v. *Gilb. Burnet voiage de Suiſſe, d'Italie etc.*

(***) v. *l'Art de plaire dans la converſation*, p. 55

ſputationes, paſſim a ſcriptoribus commemoratas: vide deriuationes verborum in iure Romano obuias et ſatis ſaepe ridiculas. Quales tibi eae videntur? mihi nugae, ſed mihi tantummodo. Nam ſi Grammaticus aliquis legit: *fur* deriuatur a *furuus;* nam Romani furuum appellauerunt atrum, et fures per noctem, quae atra eſt, facilius furantur: quid illum dicturum eſſe putas? Vere, lepide, argute! clamabit: nihil, dicet, ſapientius vnquam legi: diuinitus hoc acumen Grammatico in mentem veniſſe iurabit. Caue rideas aut neges. Rauco gutture te monſtrum, ſtipitem, truncum, imperitum, ſtultum appellabit. Ah! neſcis, ſtolidiſſime, fures in tenebris furari: neſcis verſum poetae:

Vt iugulent homines, ſurgunt de nocte latrones.

Audisne elegantiſſimum hoc: *de nocte? de nocte* dixit poeta, vt tenebras furibus fauere indicaret. Nonne etiam nox atra eſt? Hoc me Virgilius docuit:

Ruit Oceano nox
Inuoluens vmbra magna terramque polumque.

Quam ſapienter haec dicta ſunt! Iam videor mihi furem per tenebras audaci pede ambulantem, omnia circumſpicientem atque per feneſtram irrumpentem videre. O deus, deus, quam pulchrae imagines, quam bellae obſeruationes ex hac doctiſſima verbi furis deriuatione eliciuntur! Sed mittamus Grammaticum hunc. vereor, vt incolumes abeamus, ſi magis exarſerit. Putasne vero, me calumnia rem nimium augere? Equidem mihi perſuaſi, nullum gratius munus eiusmodi Grammatico a fortuna offerri poſſe, Gabii Baſſi, Varronis aut aliorum de origine verborum libris. Centum, credo, tauros mactaret: exſultaret gaudio: memoriam diei, quo theſaurum hunc inueniſſet, ſingulis annis renouaret, et epu-

lis vinoque celebraret. Sed priſcorum illorum ſtrenuos imitatores recentior aetas tulit. Iuuat delicias huius generis e Ioannis Ianuenſis vocabulario, Grammaticae Latinae adiuncto, excerpere. Noſtine originem *diaboli?* Quid haeſitas? noſter deriuat ex *dyo*, ſiue duo, et *bolus*, ſiue morſellus, quaſi duplex morſellus. Miraris? o inſignem tuam inſcitiam! qui diabolum corpus et animum mordere ignoras. At dic mihi originem *aſini:* dic, mi Ioannes,

Et Phyllida ſolus habeto.

Nempe quaſi *aſidus*, tanquam a ſedendo, quia homines, priusquam vtebantur equis, aſinis inſidebant. Euge! hoc demum eſt ſapere. Nolo plura adferre: dabit, qui haec quoque dedit, Zwingerus in oratione de barbarie ſuperiorum ſeculorum. Huic bello homini tres ſocios addamus, non minus acutos. Primus ſit Io. Ludouicus Praſchius in diſſertatione de origine Germanica Latinae linguae, vbi ſancte affirmat, ſe nullum adhuc vocabulum Latinum tentaſſe, quin radice Teutonicum illud eſſe animaduertiſſet. Sequatur Georgius Chriſtophorus Peiskerus, qui omnia vocabula Germanica Graecae originis eſſe contendit. Tertius ſit Ioſephus Maria Bellinus, qui eodem in argumento acumen ingenii oſtendit. Iuuat fortaſſe exempla aliquot audire. Nec taedet adſcribere: nimium doctae ſunt, et ingenioſae obſeruationes iſtae, quam vt ſilentio inuolui debeant.

Partem aliquam venti diuum referatis ad aures!

Verbum *Berg*, originem trahit ab ὑπέρκειμαι: *tapffer*, a δαΐς, bellum, et φερος, potens: *Dolmetſcher* ab ἄδολος dolo carens, et μετίσκω, expono. Vnde vero verbum *Rauſch?* vnde? a ῥάζω, adſpergo. vnde *Iahr?* ab ἔαρ, ver, vnde *Hülffe?* ab ἐλπὶς. O acutiſſimi viri, quantas veſtro acumini gratias debemus!

mus! quam immortaliter de litteris, immo de toto humano genere promeriti eſtis! Vos in tenebris nos miſere errantes in viam reduxiſtis: vos ea explicuiſtis, quae omnino imperuia humano ingenio videbantur.

An quicquam nobis tali ſit munere maius?

Video te plura audire cupere. Sed ignoſce pigritiae meae. Ablegabo te ad *Acta Eruditorum Lipſienſia* (*a. 1690. p. 464. 1686. p. 325. et p. 418. ſequ.*) vnde haec bona fide exſcripſi. Quidni enim fatear? ita mos eſt. Lubet alios praeterea duumuiros laudare, quorum acumen in indagandis verborum originibus praeſens miratur et omnis poſtera aetas mirabitur. Primus eſt Io. Guilielmus Stuckius, cuius libri de veterum conuiualibus antiquitatibus et de ſacrificiis pleni ſunt argutiis eiusmodi: alter Hermannus von der Hardt. Hic, vt fuit valde ingenioſus, Hebraeae atque reliquarum Orientis linguarum originem in Graecia quaerendam eſſe putauit. Feſtiua ſunt, quae vir hic, non indoctus, ſomnia edidit: ſed nihil feſtiuius vnquam hiſce deriuationibus legi. Euolue, ſi otium eſt, Chriſtiani Benedicti Michaelis Commentationem Apologeticam, qua origo linguae Hebraeae ex Graeca conuellitur, ſi, quam acutus fuerit Hardtius, intelligere cupias. Non carebit libri huius lectio inſigni quadam animi voluptate. Quid dicam de Erico, cuius exſtat: *Renatum e myſterio principium philologicum, in quo vocum, ſignorum et punctorum, tum et litterarum maxime ac numerorum origo, nec non nouum variarum rerum ſpecimen etymologicum propalatur?* Ipſe titulus ſomnia febriculoſi hominis praedicit. Huc an Daumii etiam liber de cauſſis amiſſarum linguae Latinae radicum referendus ſit, quaeris? Per me licet. Per me etiam huic claſſi adſcri-

ſcribas Becmannum, in originibus Latinae linguae indagandis acutiſſimum, Thomam Gatakerum, originem Latinarum vocum in Graecia quaerentem, et Henſelium, cuius ingenium monimentum aere perennius exegit. Tale certe mihi videtur: *Synopſis vniuerſae Philologiae, in qua miranda vnitas et harmonia linguarum totius orbis terrarum occulta e litterarum, ſyllabarum, vocumque natura eruitur.* Quis denique non obſtupeſcat, ſi eum Iulium Caeſarem Scaligerum, qui pedes, eques, adoleſcens, iuuenis, miles, praefectus, vt dicit, pugnauit, qui neque, ſi Maſſiniſſam et Xenophontem componas, hanc ideam ſe vnum exprimere putat, qui ex Imperatoribus genus ſuum deducit, omnis regii ſplendoris et militaris gloriae oblitum opus de originibus Latinarum vocum XXIV. libris abſoluendum molitum eſſe legat? O magne heros!

Quae te ſententia vertit?

Antea gladiorum fulgor oculos tuos praeſtrinxit: antea enſem hoſtili ſanguine infeciſti: nihil quam principes Veronenſes et Ludouici Bauari filiam in ore habuiſti. Cur nunc ad ineptias delaberis? cur in vmbra et puluere de ſyllabis et voculis ſomnias?

Fata viam inuenient, aderitque vocatus Apollo.

Nolo operoſas Guil. Lampughii, Steph. Guichardi, Guil. Poſtelli diſputationes de origine linguarum attingere. Poenitet excerpere vel paucula e Georgii Crucigeri *harmonia linguarum quatuor cardinalium, Hebraicae, Graecae, Latinae et Germanicae.* Piget adferre aliquid ex Merici Cauſauboni opuſculo de quatuor linguis, vbi Hebraicam linguam aliarum matrem facit, et Celticae ſiue Teutonicae natales in Graecia quaerit. At, ais, quid hoc ad te? Si quis talibus ineptiis delectetur, cur ei hanc voluptatem inuidea-

uideamus? Pueri nucibus ludunt et in arundine longa equitant. Quis prohibet? Iucundus et ſuauis illis hic ludus. Concedamus igitur ſenibus quoque, puerorum ſimilibus, has delicias. Bona verba, quaeſo. Lubenter Grammaticos ineptire pateremur, niſi patientia noſtra abuterentur. Ecce enim quo faſtu inflati incedant, quam magnifice ſe circumſpiciant, quomodo alios contemnant! Ipſo e vultu paedagogicus ille faſtus elucet. Et quae ſuperbiae huius cauſa? Sciunt ſapientiſſimi homines, vnde nomen *Maecenatis* deriuetur; digitis tibi varias variorum de illo ſententias enumerant: quomodo recte ſcribatur, centum additis conuitiis, docent. Si Horatium igitur in manus ſumunt, commemorabunt tibi quidem varias ſcripturas vocis Maecenatis, quas ex *adorandis* codicibus eruerunt, et ſi ad illud: *bellaque matribus deteſtata*, peruenient, ſtatim tibi ſanctiſſimum myſterium in aures inſuſurrabunt: *bellum* deriuari ab adiectiuo verbo *bellus:* Nam, addent, *κατ᾽ ἀντονομασίαν* hoc factum eſt, mi homo: *bellum* enim eſt minime *bellum:* caue pulcherrima tibi obſeruatio haec vnquam animo excidat. Nihilne vero, dixerit quispiam, de ornatu poetico, de figuris, de imaginibus, de ſublimitate Horatii? Nihil. Quomodo haec ſapientia in lacerum Grammatici pallium cadat? Quid dicam de labore, quem in vera verborum ſcriptura eruenda collocant? Hinc videas multas per paginas diſputari, *lethum* an *letum*, *lacruma* an *lacryma*, *monumentum* an *monimentum*, *imprimis* an *in primis*, *percunctari* an *percontari*, *cotidianus* an *quotidianus*, ſcribendum ſit. Videas Politianum de tripode Grammatico de ſcriptura verborum, vtrum *preimus* an *primus*, *Virgilius* an *Vergilius*, *Carthaginenſis* an *Carthaginienſis* ſcribi debeat, pronunciare. Videas Bal-

binum et Scaligerum de diuidendis in fine lineae vocibus deliberare, non aliter, quam de bello Turcis inferendo. Non negligenda haec ſunt, verum omnis faſtus, omnisque contentio in hiſce minutiis conſectandis abſit. Equidem malim quiduis potius agere, quam Gatakeri diſſertationem *de biuocalibus aut diphthongis* ſemel lectam iterum legere, aut cum Samuele Schmidio de vera et genuina diphthongorum AE et OE ſcriptura librum ſcribere. Magno animorum ardore a Dionyſio Lambino et Huberto Giphanio de nomine ſcriptoris noctium Atticarum diſputatum eſt. Ille eum *Aulum Gellium* hic *Agellium* ſcribere maluit. Magni vero momenti res, et qua reipublicae ſalus continetur! En citius opinione exardeſcunt, *expediunt*

Ferratasque ſudes et acuta cuſpide contos,
Immiſcentque manus manibus, pugnamque laceſſunt,
Multa viri nequicquam inter ſe vulnera iactant:
Multa cauo lateri ingeminant et pectore vaſtos
Dant ſonitus, erratque aures et tempora circum
Crebra manus: duro crepitant ſub vulnere malae.

Egregium hercle! ſpectaculum. Duo viri, qui ſe humaniorum litterarum cultores profitentur, tanquam nautae aut infimae ſortis mulierculae, ob vnam litterulam ſe conuiciis inuicem proſcindunt! Legamus Noctes illas Atticas: vſum aliquem ex hac lectione capiamus: delectemus nos varietate et iucunditate rerum, quae in iis traduntur. Quid de auctoris nomine litigemus? Sed de Lambino hoc aliam non iniucundam auditu hiſtoriam legi, neſcio tamen in quo libro. Pertinet vero illa huc. Vehemens inter hunc et Paulum Manutium bellum exarſit de ſcri-

ptura

ptura verbi *conſumtus*, vtrum *conſumptus* an *conſumtus* ſit ſcribendum. Lambinus quiduis potius pati velle, quam de ſententia ſua decedere, clamare, et ad antiquos lapides prouocare. Manutius vero lapidem adferre, oſtendere, atque Lambino, accuratius illum adſpicienti, tanta vi ad naſum allidere, vt magnum hic inde dolorem perciperet. O venuſtam Grammaticorum humanitatem! Atque eiusmodi plura exempla poſſem in medium adferre, niſi te accurata hiſtoriae litterarum cognitione inſtructum eſſe ſcirem. Quare etiam breuior ero in depingenda Grammaticorum cura, quam in examinandis verbis ponunt. Eſtne, oro te, operae pretium de verbo *cerno* duo libros ſcribere? Scripſere tamen Kuſterus et Perizonius. Tali ſi modo in omnibus verbis explicandis verſari velimus, non montes montibus, vt Titanes olim, ſed libris libros impoſituri, facile coelum aſcendemus. Quae non diſputarunt Vorſtius, Buchnerus, Bangius de reciproco pronomine *ſui!* quot chartas impleuere Elmenhorſtius, Voſſius, Schottus, Lambinus, Scioppius, alii moleſtis diſputationibus de formula *in praeſentiarum!* Miſeret me profecto, miſeret me boni viri, Cellarii, qui ſe huius verbi inueniendi cauſa omnia Hieronymi opera fruſtra perlegiſſe fatetur; quod equidem non facerem, ſi omnino Latinum ſermonem ignorare deberem. Quis neſcit turbas, quas verbum *ingratiis* concitauit? Nolo Parei, Voſſii, Scioppii, Giphanii, Gentilis diſputationes de hoc verbo exſcribere. Quam ſubtiles Sanctius, Perizonius, et Weſterhouius de vero verbi *amare* ſenſu diſputauerunt! Nolo diſertus hac parte eſſe. Euolue Sanctii Mineruam, a Perizonio editam, et libros illos de Latinitate veterum ICtorum, a Duckero euulgatos. O curas, clamabis,

Grammaticorum! o quantum eſt in libris veſtris inane! Superbos et portentoſos titulos illis praefigitis: theſaurum pollicemini, et datis carbones. Flores decerpere atque e ſpiſſis veſtris voluminibus colligere cupimus. At Dii Deaeque! quid inuenimus? quid adſpicimus?

Infelix lolium et ſteriles dominantur auenae,
Pro molli viola, pro purpureo narciſſo
Carduus et ſpinis ſurgit paliurus acutis.

Operoſas legimus diſputationes de partibus orationis, de gerundiis, de ſupinis, de participiis, et aliis eiusmodi rebus. Diſſenſu enim veſtro, veſtroque rixandi ſtudio doctrinam facilem difficillimam reddidiſtis. Nodos quaeritis in ſcirpo, et nouis ſemper argutiis proferendis intenti nunquam ad maiora adſurgitis. Theologos Pariſinos aiunt poſt multas contentiones pronunciaſſe, niſi Grammatice, certe Theologice dici poſſe: *ego amat*, atque huius rei memoria in vetuſtis exemplaribus Magiſtri ſententiarum exſtare dicitur. Ridetis, o Grammatici? Nunc tandem vos hilares video: ſemper ſeueri fuiſtis. O blandam faciem veſtram! o pulchros ocellos! Tali ſi forma Paris praeditus fuit, non miror illum Helenam rapere potuiſſe. Sed nonne his ſimilia multa profertis? Hoc clamatis poetice dici: illud dici ad imitationem Graecorum. Quod ſi vero vobis laqueis, quibus vos ipſi implicuiſtis, nulla relicta eſt ſpes vos expediundi, ad figuras, neſcio quas, in cerebello veſtro natas, confugitis. Inde ſi ſyllabam aliter vſurpatam eſſe videtis a poeta, quam docuiſtis, per figuras aliquas hoc fieri dicitis. Atque de his veteres poetas ne in ſomnio quidem cogitaſſe, Iouem lapidem iurare auſim, niſi eos peſſimos verſificatores, non ſummos et elegantiſſimos poetas fuiſſe, cenſeatis.

tis. Sed ſatis iam cum Grammaticis locutus ſum: ad te, dulciſſime, redeo. Putas fortaſſe, ipſos Grammaticos his minutiis non magnum pretium ſtatuere. Erras, amice, vehementer erras. Vix Romanos, Hannibale ex Italia pulſo, tantum laetatos eſſe arbitror, quantum Grammatici, verbo aliquo in codicibus reperto, gaudent. Tum vero ſpiritus tollunt: exſultant: magnifica oratione laudes ſuas decantant: ſe totum orbem terrarum Herculeo labore monſtris liberaſſe ſomniant. Ne me mala fide agere credas, audi, quaeſo, Iacobum Gronouium, (*) Phoebo ante alios dilectum Gronouium,

Acri quondam cui captus amore
Ipſe ſuas artes, ſua munera laetus Apollo
Augurium citharamque dabat celeresque ſagittas.

Quis enim neget? ipſe credidit. Caue mihi belliſſimum Senecae locum recites: *Sibi indulget, ex libidine iudicat, et audire non vult, et ea, quae inuaſit, tenet, et eripi ſibi iudicium ſuum, etiamſi prauum eſt, non ſinit.* Hon huc pertinent haec verba, non tangunt Criticum noſtrum. Ego tibi pulchriorem locum recitabo: *Qui poſſem temperare laetitiae, deprehendens, ab hoc inaeſtimabili monumento* (facile intelligis codicem Herodoti Mediceum indicari) *Herodotum dari adiutorem illis, quae ad Stephanum dixi. Ne mihi inuidiae ſit, ſi diſcurrenti, inquirenti et ſedulo laboranti aliquid occurrerit in ſermone Graeco vsque ad hanc aetatem noſtram ignoratum, etiam illis, qui nuper iactantiſſime eo vſi fuerunt.* Concurrite ciues, Critici, Grammatici, et quicquid eſt politiorum hominum. Gratulemur litteris hunc vindicem et ſtatorem: gratulemur humano generi felicitatem tantam. Quid ceſſas? mi amice, quid ter-

(*) *in animadu. ad Herodot.*

tergiuerſaris? Rem magni momenti Gronouius primus inuenit. Dico tibi: non leuis res eſt. Nunc tandem Graeca lingua egregie illuſtrata et inſigni acceſſione locupletata eſt. O te beatam Graeciam! tune vnquam putaſſes, Batauum aliquem tibi tantum beneficium allaturum eſſe? Iterum dico: magna eſt res, qua enunciata Criticus de toto humano genere optime meritus eſt. Neque enim *laetitiae temperare poteſt.* Iam videor mihi illum exſultantem, ridentem, manus ad coelum tollentem, clamantem prae gaudio, immo lacrimantem videre. O bone deus, cur tam ſero diuinum hoc myſterium apparet? cur non potius ante mille annos Gronouius aliquis natus fuit? Miſeret me tui, amice: video te auidiſſime exſpectare,

Quid tanto dignum ferat hic promiſſor hiatu?

Non diutius te excruciabo. Aſſem igitur para! omnia tibi narrabo. Sed longa eſt fabula: paucis me tamen expediam. *Iacobus Gronouius*, *Ioannis Friderici filius*, *vir doctiſſimus*, *Criticus*, *Grammaticus et Antiquarius ſummus*, *Cenſor Perpetuus*, *benignioris fati indulgentia in codice Mediceo*, *inuenit nouum* — eloquar an ſileam? *nouum igitur inuenit*, *non ſine numine deorum*, *verbum*, — *verbum μȣνόθεν*. Quid ais, Cariſſime? — Magnas te mihi gratias acturum eſſe, ſperabam: cur taces? nunquam ſimile aliquid ex me audies: nunquam me exorabis. Eſt aliud praeterea, *plane ignoratum hucusque et nulli ſcriptum*, *niſi nunc* Gronouio *praeſertim.* Verum vix impetrabis a me hodie, vt illud audias. Sed ſi tibi dicam, verbum ὑπεξείρυσαν a Iacobo noſtro reſtitutum eſſe, *ecquid erit pretii?* Vt tamen ſerio agamus, Vir doctiſſime, nonne puerorum ſimiles hi Grammatici? Non reiicio auctoritatem codicum

manu

manu exaratorum: non displicet mihi bona lectio in vetusto libro inuenta. Ipse nuper chartas vetustissimas excussi, atque multas molestias deuoraui, vt desperatis aliquot auctorum locis medicinam adferrem. At si quis ob inuentam aliquam bonam lectionem tantos clamores tollit, tam pueriliter ineptit, vt Gronouius saepius in notis ad Herodotum et ad Arrianum, si quis de diuinitate et sanctitate membranarum loquitur, vt idem lepidum caput: nonne hic dignus est, qui exsibiletur a pueris, qui Parnasso deiiciatur, qui in aeternis tenebris et perpetua nocte vitam agat? Sed tale est plerumque Grammaticorum ingenium. Si chartas puluere sordidas conspiciunt, seuero vultu accedunt. Tum trepida manu et sacro quasi horrore perfusi codicem euoluunt. Attende paullulum! En quam secum murmurent! et modo frontem corrugent, modo lepide rideant. Nunc vero, DIs gratia! varietatem lectionis aliquam vident. O quam exsultant nunc! quam clamant! Vix Alexandrum, Asia superata, tantopere gauisum esse puto. Tam verum est illud Senecae: *quemadmodum omnium rerum, sic litterarum quoque intemperantia laboramus.* Atque hoc quidem eo magis apparebit, si, quomodo inde ab initio huius seculi in edendis veterum auctorum libris Grammatici versentur, consideres. Vegrandes singulis annis in veteres scriptores commentarii in lucem prodeunt. Obruimur prope eorum copia. Charta est nitida, litterae sunt pulchrae, forma voluminis venustate sua non caret. In titulo editor tibi aureos montes pollicetur. Ipsum si librum euoluas, longas videbis adnotationes. Vt in mari cymbae, sic verba veteris auctoris in pelago hoc adnotationum natant. Fortasse igitur multa de venustate, de naturali pulchritudine, de aliis scriptoris

vir-

virtutibus monentur? Fruſtra eiusmodi obſeruationes quaeres.

Apparent rari nantes in gurgite vaſto

Critici, guſtu et ſenſu aliquo venuſti et pulchri imbuti. Plerique nil niſi verba et formulas loquendi tenent: apices et puncta in ore et animo habent: quid pulchrum, quid verum ſit, quid ad boni carminis virtutes pertineat, vix centeſimus quisque intelligit. Mihi crede: pauci Grammatici fuerunt, quos non eodem iure, quo Cicero leguleios ſuae aetatis, CANTORES FORMVLARVM ET AVCVPES SYLLABARVM appellare poſſimus. Nam in plurimorum notis nihil prope aliud, quam immenſam variarum lectionum ſiluam et infinitum exemplorum et formularum numerum proponi videmus. Non male Schuppius Criticos *ruſtico veſano ſimiles eſſe* dicit, *qui ador omittat, et zizaniam in horreum colligat.* Sexaginta codicibus in Lucani editione adornanda vſum fuiſſe Gottlieb Cortium audiui. Maior quidem poetae editio ob praematuram viri docti mortem lucem non vidit, nec doleo. Vidi Burmanni, vidi Oudendorpii Lucanum, cui ſi Cortianus ſimilis fuiſſet, vt certe fuiſſet, exiguam ex hoc tanto labore vtilitatem perciperemus. Quid dicam de Claudiano, quem nuper Petrus Burmannus edidit? E quinquaginta amplius codicibus excerptae variae lectiones exhibentur. Aut vehementer erro, aut quo ſtudioſior quisque elegantis doctrinae eſt, eo magis Gesneri potius, quam Burmanni Claudianum legere cupiet. At ille non tot codicibus inſtructus fuit: non tantum formularum numerum congeſſit. Fateor et laudo. Vellem alii quoque virum doctum imitarentur in edendis veteribus auctoribus! Elegantiores et prudentiores lectores commentarii in priſcos ſcriptores

red-

redderent, quam vulgo fieri videmus. Sed non in omnibus ea elegantia eſt litterarum, quam in Gesnero miramur. Poſt immenſam variarum lectionum copiam infinitum errorum typographicorum numerum e vetuſtis editionibus obſcura diligentia conquirunt. Hoc inſtitutum eos praecipue adamare intellexi, qui aliorum commentarios edunt, in quibus facile eminet Fiſcherus, ludi Lipſienſis Magiſter, nec praeter hoc munuſculum quicquam addere et bibliopolae vendere ſciunt. Deinde iſti (nam hi pauperculi fere ſunt) innumeras e libris Criticis emendationes, ſuſpiciones et coniecturas coaceruant, atque illi ſcriptori, quem illuſtrare volunt, appingunt. Quae, malum, haec inſania? Quid hoc ad me, quod aliquis in Gallia aut Belgio ſomniauit? Veteris auctoris verba legere volo: cur mihi audacis Critici ſomnia obtrudis? At locus eſt corruptus. Fortaſſe tibi tantummodo talis videtur, quoniam eum non recte intelligis: fortaſſe non librarius, ſed ipſe ſcriptor peccauit. Et ſit corruptus. Inſpice codices, euolue membranas. Silere hoc loco veteres libros, quereris? Exſpectemus alia tempora. Multa quotidie in lucem proferuntur, quae antea tenebris immerſa iacebant. Cur ſudemus? cur excruciemus nos coniecturis excogitandis? Et quid ſi aeternum hic locus corruptus maneat? quid inde incommodi? Non pereunt hercle! litterae, ſi vnus Ouidii verſus a Criticis tanquam corruptus obelo notatur: non pereunt, ſi locus aliquis Ciceronis mendo laborat. At non ſatis haec lectio digna eſt ingenio mei ſcriptoris. coniecturis ſuccurram ei. expungam haec verba: alia ſubſtituam. Nempe haec eſt Criticorum libido quaeuis delendi, expungendi, mutandi, quae illis non pulchra ſatis videntur. Haec eſt *bruta illa criſis*, vt ſum-

ſummi Bynckershoekii verbis vtar, *quae pro arbitrio particulam, quam ſalutarem vocant, addit et demit, totos verſiculos eiicit, alios ſubſtituit, quaslibet notas fingit, gloſſemata continuo increpat, quauis denique ratione ferro medicinam parat.* Hinc acutae illae multorum Criticorum emendationes natae ſunt: hinc, vt alios praeteream, Bentleius Horatium et Phaedrum, Lipſius Velleium, Ioſephus Scaliger Manilium, et Nicolaus Heinſius multos poetas ingenioſis coniecturis ornauerunt. Quis vero bonis viris illud negotii dedit, vt veteres auctores in ordinem redigerent? Atque, ne belliſſimum morem praetereamus, quid de iis Criticis dicamus, qui ad vnum ſcriptorem illuſtrandum omnes ſuas diuitias multo labore inde a primis vsque aetatis annis collectas congerunt? Oſtentauit Criticas ſuas opes Salmaſius in Exercitationibus Plinianis, oſtentauit Gatakerus in notis ad Antoninum, oſtentauerunt Barthius, Heinſius et plurimi Bataui in commentariis ad ſcriptores veteres. Legi D'orvillii animaduerſiones in Charitonem, et gaudeo, me legiſſe. Multa me ex iis didiciſſe, gratus fateor. Sed dic, ſodes, ſi ea reſcindas, quae ad Manethonem, ad veterum epigrammatum anthologiam, ad alios ſcriptores pertinent, ſi ea tantummodo colligas, quae Charitonem illuſtrant, quantam ad maciem pingue hoc corpus redigetur! Sex octoue plagulas habebis: iam habemus volumen. At ſunt doctae, ſunt bonae frugis plenae hae animaduerſiones.

Sed nunc non erat hic locus.

Verum fatebor. Non ſine oculorum et animi faſtidio Barthianas et plerorumque Batauorum editiones euoluo. Miraris? non muto ſententiam. Moleſta mihi eſt ferrea illa in congerendis ſimilibus formulis et phraſibus, iisque neque pueris ignotis, diligentia. Non

Non improbo hanc rationem, ſi modus adhibeatur. Si dictio quaedam a communi loquendi ratione abhorrens, ſi formula ignota, raro obuia et obſcura occurrit, quidni eam ſimilibus illuſtrem? Sin vero ad vulgares, minime obſcuras et pueris quoque notas formulas explicandas plauſtris tantam copiam conuehunt, nonne ineptiſſime agunt? Neque ſolas formulas adſcribunt, ſed laudant praeterea decem alios Grammaticos, qui plura exempla cumulauerint. Eſtne hoc veteres auctores interpretari? Hancce farraginem commentarium Criticum appellemus? immo macilenti Grammatici collectanea, aduerſaria, phraſeologias. *Si quis in enucleando ſcriptore*, inquit Cunaeus, *nihil niſi vocularum crepundia apponere lectori, aut ad nauſeam vsque lectiones varias corradere vellet, eandem profecto lectoribus lucem, quam nox illunis peregrinantibus, praeferret.* Saepius homines, docti illi, ſed eleganti doctrina inſtructi, et qui non magis ſcholae, quam vitae, didicerant, mihi dixerunt: nulla alia de cauſa Graecas et Latinas litteras vulgo contemni, quam ob obſcuram hanc Criticorum diligentiam. Nolumus, dicebant, conſtipatam formularum farraginem emere: nolumus tot exempla ad vnam aliquam formulam explicandam adſcripta legere: elegantiores adnotationes de virtutibus ſcriptoris a Criticis poſtulamus. Hac peruerſa lectionis oſtentandae cupiditate Grammatici riſum multis mouent, et optimam artem in contemtum adducunt. Hinc fit, vt ab acutis et elegantibus hominibus variis locis perſtringantur: hinc VERBORVM REGES appellati ſunt a multis. Verum de hoc morbo iam alio loco diximus. Paucis attingam aliud minutiarum genus, in quarum ſtudio multi conſeneſcunt. Mirificum hi laborem in rebus indagandis

 po-

ponunt, quas ſiue ſcias, ſiue neſcias, nihil inde vel commodi, vel incommodi percipias. Valde excruciauit Criticos aliquot *paſſer Catullianus*. Lege Politiani, Caſtalionis, Carrionis, Voſſii, aliorum diſputationes. Miraberis hercle! quomodo factum ſit, vt viris grauibus et ſeueris hae ineptiae in mentem venirent, et cur, quod ſemel dixiſſe ſatis erat, toties repetierint. Porro vna ſaepe litterula in numo aut lapide viſa eos dies noctesque excruciat. Quas tum coniecturas, quas ariolationes, immo quas nugas proferunt! Citius vadimonium deſerunt, quam delicias has. Quid multa? de tribus capellis, de tribus quatuorue litteris diſputant, et quatuor plagulas hac diſputatione maculant, — ornant volebam ſcribere, amice, ſemper hic erro. Centum Grammatici tibi calceos, caligas, veſtes, haſtas, coronas, annulos, lectos Romanorum deſcribent: centum tibi narrabunt ritus ſepeliendi, epulandi, bibendi. Vix vnus formam reipublicae Romanae, rationem magiſtratuum, cauſas legum, vires et neruos quaſi florentis reipublicae, iuris dicundi et iudiciorum habendorum ritus tibi exponet. Conſumunt operam et tempus in cognoſcendis et explicandis rebus, quae nullam vtilitatem cuiquam adferunt. In his illuſtrandis diſerti ſunt, de illis mirum ſilentium. Quis antiquitatis reliquias, tabulas pictas, vaſa, ſigna eo conſilio adſpicit, vt inde artificum praeſtantiam et ingenia diſcat, qua in re et quantum illi noſtros homines ſuperauerint, intelligat, atque hanc cognitionem ad artes emendandas et perficiendas transferat? Vidiſtine vnquam Tollii Fortuita? his adiunctus eſt ἔρως κοιμώμενος. Ne ignores, quid hic titulus indicet, paucis tibi totam rem exponam. Iuuenit Tollius antiquum lapidem, vbi Cupido leoni indormiens exhibetur, reflexa in ſini-

ſiniſtrum dextra, ſiniſtra vero duo papauera complectens, quibus lacerta adrepit, adſcriptis litteris his: O. V. A. R. N. M. Hem! quid nunc faciendum eſt? Lapidi inſcriptas litteras videmus, et lapidem veterem eſſe apparet. Omnibus antiquitatis reliquiis auguſtum aliquid atque ſanctum ineſt. Quis ſcit, quanta ſapientia hiſce litteris abſcondita lateat? Quomodo vero, quid iis indicetur, diuinabimus? Adeamus

Arces, quibus altus Apollo
Praeſidet, horrendaeque procul ſecreta Sibyllae.

Sed ipſe Tollius vates eſt: hunc igitur audiamus. Quomodo interpretatur litteras? nempe ſic: O*mnis* V*is* A*moris* R*equie* N*octurna* M*iteſcit*. Optime!

Mella fluant illi, ferat et rubus aſper amomum.

Quid multa? Rondellius quoque ſibi acutus videtur. Quidni igitur ſuarum virium periculum faciat? Fecit etiam. Quid nouus hic ariolus cenſet? Ex omni antiquitate, e Philoſophia, e regulis Criticis oſtendit, has litteras eſſe ſic explicandas: O*mnis* V*is* A*mantium* R*equieſcens* N*ullius* M*omenti*, vel ſic: O*eſtro* V*ernantis* A*moris* R*eſiſtere* N*il* M*iſerius*. Noſti, Criticum nunquam adduci poſſe, vt, quae ſemel dixerit, deinde reiiciat aut neget. Tollius igitur ſuam ſententiam fouere atque Rondellium refutare. Rondellius contra ſilentium indignum ſuo ingenio iudicare et Tollio reſpondere. Veſtram fidem, acutiſſimi Critici! Quid eſt nugas agere, quid eſt ineptire, quid eſt otio et chartis abuti, ſi hoc non eſt? Quid ſi ego quoque acutus eſſe velim atque litteras illas ſic explicem? O V*anitates* A*rtium* R*idiculas!* N*ugas* M*aximas!* Nonne rem acu tetigi? O me acutum hominem! te vero beatum, qui tam inge-

niosum amicum habeas! Addam aliud exemplum. Satis nota est Bononiensis illa inscriptio: *Aelia Laelia Crispis.* Facile intelligitur, hanc inscriptionem recentiorem aetatem redolere et otiosi hominis lusum esse. Quis vero credat, tot homines in hoc aenigmate explicando laborasse? Carolus Caesar Maluasia in libro de hoc argumento scripto tres et quadraginta viros laudat, quorum numerum auxit Franciscus Mastrius libro Venetiis edito et Bononiae repetito. Quaeramus ex his nugiuendis, qua de causa hunc laborem susceperint? quaeramus, cur tot bonas horas perdiderint? Si in hisce monimentis aliquid latere videatur, quod historiam illustret, quod res a nostra aetate remotas illuminet, nihil impedio, quo minus in talibus explicandis desudent, quibus otium est. Si vero ex incertissimis his rebus aliquid exsculpas, quod probabilitatis speciem habeat, (nam quomodo ad veritatem accedas?) quid inde? Finge nos scire, quae Aelia Laelia Crispis fuerit, finge Tollium recte illas litteras interpretatum esse, quam exiguam ex hac eruditione vtilitatem percipiemus? Nihil haec sapientia faciet ad vitam rectius instituendam, ad ingenium poliendum. Voluit fortuna nos talia ignorare. Ignoremus igitur. Quantum disputauerunt homines de pronuntiatione Graecae et Latinae linguae! Aldus Manutius, Rob. Stephanus, Lipsius, Aemilius Portus, Io. Chekus, Martinus Crusius, Erasmus Schmidius, Wetstenius, alii acumen ingenii in hoc argumento quomodo ostentauerint, quis nescit? Magnas turbas excitauit noua Graecae linguae pronuntiandae ratio, ab Erasmo tradita. Vt vero eo melius intelligatur, quam facile hoc hominum genus ad sententiam aliquam defendendam impellatur, lubet paucis exponere, qua re Erasmus ad dialogum de

recta

recta Graecae linguae pronuntiatione ſcribendum impulſus ſit. Venit Henricus Glareanus Pariſiis Louanium, atque inuitatus ab Erasmo ad prandium, interrogatusque, ecquid noui afferret, mendacium in itinere ad Erasmum, mire credulum, decipiendum excogitatum protulit. Doctiſſimos dixit quosdam viros in Graecia natos Lutetiam veniſſe, plane diuerſa a vulgari atque in hiſce regionibus recepta Graecae linguae pronuntiatione vſos. nam pro Η *ita* dicere *eta*, pro *αι* *ae* pronuntiare *ai*, et quae ſunt reliqua. Quis putet, Erasmum non ſolum his Glareani verbis fidem habuiſſe, ſed, vt ipſe huius rei inuentor videretur, in dialogo modo laudato hanc nouam doctrinam propoſuiſſe? Nonne lepida haec hiſtoria? Porro quantae lites ortae ſunt de metris Comicis! Suauiſſime Terentii lectione afficior, etſi Bentleii, Harii et aliorum acutas diſputationes non probem. Verum ita res eſt. Nimia ſuperſtitione omnes antiquitatis reliquias veneramur: nimio cultu Latinam linguam proſequimur. Quot Grammatici nullum alium librum, niſi Latine ſcriptum, probant! quot omnem vernaculi ſermonis curam reiiciunt! Si quis in hoc ad certam normam redigendo, expoliendo, collocupletando laborat, o qui tum riſus! Hunc nihil ſapere, hunc ſtipitem eſſe clamant: barbariem imminere atque bonarum artium interitum adeſſe iurant. Nulla alia lingua, quam Latina, bonum et doctum librum conſcribi poſſe, ſibi perſuaſerunt. Saepius laetatus ſum, tempus et fatum Bauii et Maeuii carmina deleuiſſe. Nam ſi ea ad noſtra tempora perueniſſent, quanta hominum fuiſſet inſania accenſa! Hic varias lectiones excerperet, ille commentarium *perpetuum* ederet, alius ineptias harum poetarum et vitia carminum oſtendere, alius eadem defendere vellet. Latinus

nus enim ſermo eis ſolus elegans eſt, ſolus dignus, quo omnes liberales artes tradantur. Quid? quod beatos non alia, quam Latina lingua, ſermones habituros eſſe putant. Putauit certe Melchior Inchoferus, Loiolita. Vtinam ipſos veteres auctores audirent! Quid enim Tacitus ait? *Non omnia apud priſcos meliora, ſed noſtra quoque aetas multa laudis et artium relinquet. Neque enim quaſi laſſa et effoeta natura eſt, vt nihil iam laudabile pariat:* ſunt Plinii verba. Nunquam non mihi ſententia Ienſii placuit: ingenui hominis eſſe et cordati, in verſandis cuiuscunque generis et aetatis, quanticunque etiam nominis, ſcriptoribus cogitare, vniuerſos eos et ſingulos fuiſſe homines atque adeo potuiſſe labi. Visne igitur ſcire, quid de Grammaticorum ſtudiis ſentiam? Probo illa, qui enim aliter poſſem? laudo diligentiam. Nimium minutiarum ſtudium, arrogantiam, huic hominum generi fere propriam, et faſtum reprehendo. Mihi quidem Grammatici ſimiles videntur operariis, qui ex agris ſentes excidunt, vepres euellunt, lapides effodiunt, terram colunt. Nemo horum diligentiam contemnet aut reprehendet. At ſi iidem ſe feliciores iis exiſtimarent, qui fruges ex his agris colligant, quis eos non irrideret? Suaue eſt, agrum aliorum ſudore purgatum cultumque poſſidere. Sed video, Vir doctiſſime, me ſuaui Tecum confabulandi cupiditate abreptum plura ſcripſiſſe, quam mihi initio propoſitum erat. Paucis igitur ridiculam Grammaticorum libidinem rixandi attingam. Abierunt agreſtes Grammaticorum et ruſtici mores prope iam in prouerbium. Saepius audiui, homines, ruſticitatem alicuius indicantes, dicere: tam agreſtis eſt, quam Criticus! Atque ne fortaſſe alios tantummodo, maleuolentia aut liuore incitatos,

ita

ita iudicare exiſtimes, audi, quid ὁμοτεχνίτης, elegantiſſimus Facciolatus, dicat: *artis*, ait, *ſeu vitio, ſeu fato quodam fieri ſolet, vt nec ſua quisquam afferre poſſit, niſi carpat aliena, nec aliena carpere, niſi modum excedat.* His adde verba Grauinae: *Ars Critica, quae diſcrimen erat veritatis et temporum atque falx errorum, nunc ſeditionum litterariarum fomes ac turbo ingeniorum euaſit.* Aurea vero verba! Fateor, in omni eruditionis genere fuiſſe aliquot rixoſos et arrogantes. Verum nondum intelligo, quomodo accidat, vt Grammatici acerbitate, rixandi libidine, et ruſticitate omnes alios longe ſuperent. Fateor, virum quendam non indoctum vere dixiſſe: nullam artem nullumque doctrinae genus ſatyris magis patere, iisque libere ſcribendis aptius eſſe quam Criticum et Grammaticum. Sed iterum fateor, me cauſam harum altercationum non intelligere. Primum res ipſae, de quibus diſputant, non magni momenti ſunt, vt verum dicamus. Digladiantur de ſyllabis plerumque et verbis. Deinde ſe earum artium cultores, et quid dico cultores? immo vindices profitentur, quas animos hominum humanos reddere, quas mores emollire, quas a feritate longiſſime nos abducere aiunt. Vnde igitur haec inhumanitas? vnde hi barbari et agreſtes mores? Lepide dixit Dauid Pareus: *Omnino credo, diabolum eſſe auctorem Critices.* Quibus cauſis adductus aut a quo edoctus Pareus ita cenſuerit, neſcio: verum, aberraſſe illum a vero, vidi, qui negarent. Audiuiſti modo Facciolati et Grauinae verba, quibus quidni fidem habeamus? Hi mores ſociorum optime cognitos habere potuerunt. Nunc audi, quomodo eosdem Criticos exagitet Salmaſius, ipſe Criticus, nec humaniſſimus ſemper. Appellat bonos homines viros, *qui ſub Criti-*

corum nomine TOTI VERBORVM HOMINES *ſint, nec altioris ſapientiae capaces fumoſam quandam et friuolam antiquariae doctrinae ſpeciem conſectentur. Diceres praeter eos ſapere neminem: ita ſeſe ſupra ceteros efferunt, ita omnes velut infra ſe poſitos premunt, et tanquam extra communia ponendi delicias faciunt, ouis ſcilicet felicibus nati, albae gallinae filii: iidem vero tam altos ſpiritus gerunt, et adeo longas inflant tibias, vt ſine ſe ſtare non poſſe litteras, ſine ſe peſſum abituras contendant.* Ipſe Salmaſius viderit, an recte in deſcribendis collegarum moribus ſe tam ingenuum et ſimplicem praebuerit. Vereor, ne multi his coloribus Salmaſium ipſum ſe ex aliqua parte depingere voluiſſe ſuſpicentur. Nam qualem ſe erga Heraldum praeſtat? Hunc *mulum togatum, belluam, animal Arcadicum, magnam beſtiam, bipedum indoctiſſimum et ignorantiſſimum, aſinum, rerum omnium rudem, imperitiae proſtibulum, fungum putridum, Maruccinum, mentis febricitantis leguleium, iuris decoctorem, dupondium, nugicrepum et nugiuendulum, caprimulgum, Cerberum, rabioſum, infamem, rabulam et improbum mortalem* appellat. O inſignem humanitatis magiſtrum Salmaſium! O aurea modeſti Critici verba! Hoſce vero belliſſimos mores ſolum Salmaſium adamare putas? Finge, te iratum aliquem Grammaticum videre. Vin' cauſam? Duo homines, quibus pectus ſapit, de lectione verſiculi veteris poetae diſſentiunt. Pomponius hoc, Stentor illud verbum ſubſtituendum eſſe dicit. Pluma haud intereſt, hoc an illud eligas. Sed paullo attentius Stentorem intueamur. Ipſum corpus et ſupercilia olere ruſticitatem et agreſtem animum clamitare videntur. Ab imis vnguibus vsque ad verticem ſummum totus videtur e con-

conuiciis et maleuolentia conſtare. Quae frons! quae rugae! Si hic homo ſinapi victitet, non cenſeam tam triſtem eſſe poſſe. Iam pugnas narrat, et cicatrices oſtentat. Iam falcatis dentibus ridet. Totas ſe Grammaticorum legiones, quaſi ventum folia, ſpiritu diſſlauiſſe commemorat. At neſcio, quae minae in vultu ſurgant. Oculi ardere mihi videntur, et rubore genae inficiuntur! Ocyus, amice, aufugiamus. Non ego nunc vitam tuam vitioſa nuce emam. Farctum ex nobis faciet. Abeamus, oro te, atque e longinquo videamus, quem res habitura ſit exitum. Iam datur ſignum pugnae. Vide Stentorem noſtrum:

Caput altum in praelia tollit,
Oſtenditque humeros latos, alternaque iactat
Brachia protendens et verberat ictibus auras.
Nec mora, nec requies, quam multa grandine nimbi
Culminibus crepitant; ſic denſis ictibus heros
Creber vtraque manu pulſat verſatque

miſellum Pomponium. O quam plumbeas iras docti hi viri gerunt!

Tantaene animis coeleſtibus irae?

Parce, parce, Stentor, collegae tuo. Nunquam poſthac tantum facinus committet: nunquam oblatrabit. Auditne Stentor? immo magis magisque exardeſcit. Vltimum iam fatum imminet Pomponio. Eheu!

Sternitur exanimisque tremens procumbit humi bos.

Vidiſtine vnquam pulchrius ſpectaculum? crede, nullum ſuauius eſt, quam vel vetulae vel Critici rixantis. Sed mittamus iocos. Quam longiſſime mea mens poteſt recedere et primam renaſcentium litterarum memoriam repetere, inde vsque repetens, bella,

praelia, certamina criticorum inuenio. Non ignorabis rixas Poggii cum Valla et Trapezuntio, Politiani cum Merula, Scaligeri cum Erasmo, Frischlini cum Martino Crusio, Salmasii cum Heinsio, Antoni Maioragii cum Caelio Calcagnino, Gruteri cum Pareo, Bentleii cum Hario, Alexandro Cuningamio et Richardo Iohnsono, Scioppii cum omnibus prope suae aetatis viris doctis, Perizonii cum Hubero, Kustero, Clerico, et, Valerii Accincti nomine adsumto, cum Francio. Quem non lacessiuit Franciscus Robortellus, cuius *spirat adhuc effecta oris imago turgidam mentis ferociam et effrenem ciuilis aurae cupiditatem?* (*) cui pepercit hominis furor? non Mureto, non Sigonio, non Alciato, non Manutio, non Erasmo. Nimis longum et molestum esset, contentiones has et conuitia, quibus se inuicem Critici lacerauerint, pluribus enarrare. Paullo copiosius agam de Iacobo Gronouio, in quo omnes suas vires Eris experta esse videtur.

O fama ingens, ingentior armis
O Iacobe, *quibus coelo te laudibus aequem?*

Multorum Criticorum libros legi: multos inhumanos, barbaros, agrestes, multos conuitiatores cognoui. Qui vero huic palmam dubiam redderet, vidi adhuc neminem.

Non illi quisquam se impune tulisset
Obuius armato, seu cum pedes iret in hostem,
Seu spumantis equi foderet calcaribus armos.

Imposita mihi nuper fuit necessitas animaduersiones Gronouianas in Herodotum non tantum omnes perlegendi et examinandi. Erat enim mihi de Theotisca Herodoti versione, a Goldhagio elaborata, et de doctissima Wesselingii dissertatione Herodotea iudicium

(*) v. *Io. Imperial. mus. histor.* p. 61.

cium ferendum. Multa mihi saepius amici de ingenio Gronouii dixerant: viuis mihi coloribus agrestes illius mores depinxerant. Nolui iis fidem habere. Tantam rusticitatem in Grammaticum cadere mihi persuadere non poteram. Animaduerti autem, minime eos rem inuidiae faciendae causa auxisse. Quis enim est, quem ille non lacessat? quis Criticus, quem non conuitiis proscindat?

Adeste, stultis, praeda erit praesentium
Logos ridiculos vendo, agite licitemini.

Henricus Stephanus *illi est faber prauitatis, vltra fidem puerilis et imperitus, monstrose audax, et cuius dicta pro absurdis reiicienda:* Tanaquillus Faber *ingenium habet, in quo nil bonum, nil felix, sed quod delirat, vir incertus, suspensus et ad insulsas coniecturas praecipitans:* Isaacus Vossius, *monstrum seruile capistrum meretur:* Raphael Fabrettus *sine examine sua eaque vitio exscripsit:* Brockhusenius *ingenio et oculis impar fuit ad aliquid videndum:* Aemilius Portus, *cui infelicissimae horae illuxerunt, clausos oculos habuit, in absurda austeritate versatus:* Valla *putidi fuit oris, grassari solitus, ridiculus* et *nugacissimus:* Clericum *summum apud Musas simium et vespertilionem* vocat, *in cuius nugis innumera annomala occurrant* atque in eo *fatalem scabiem ad perdendas Musas* notat: Ez. Spanhemius, *Puteolanus vector, et omnium citator, nil nisi foedum vitio potest scribere et alios prae aliis hominibus oculos habuit.* Quid alias laudes adscribam, quibus Salmasium, Iungermannum, Thomam Galeum, Holstenium et Kusterum, *illum turbatorem quietis Suidae, illum nugacem in tot sacris locis et vanissimum impiumque antistitem* afficit? Omnes enim Herodoti interpretes magnifice contemnit, eosque *homines futiles et fal-*

falſarios, *omnes ſtoliditatem ſuam exercuiſſe* et *nihil intellexiſſe clamat.* Ain' tandem, Vir Humaniſſime? quis exſpectet talem orationem ab humaniorum litterarum profeſſore? Non infitior, me ipſum vehementer miratum eſſe hanc conuiciandi libidinem. Quare cupiditas me inceſſit videndi, an aliis in libris moroſus et ſeuerus hic Iacobus hilaris et facilis eſſet Iacobulus. Euolui igitur primum adnotationes in Cornelium Tacitum. Quid inde didicerim, quaeris? Fabrettum eſſe *virum antiquitatis et elegantiae ex ſcriptis Codd. eruendae ignotum:* et Brockhuſium *ſacrificulum poetae, chartaceum machinatorem, anonymum alios libenter nominantem*, *ipſum certe non laudandum.* Duo inprimis ſibi exagitandos ſumſiſſe videtur in his notis. Primus eſt Ryckius, quem furti accuſat, qui *nimis liber*, *praeceps*, *inanis eſt*, quem ſeuere caſtigat, quoniam *ruere intus* Latine dici negauit, in quem ſaepius inuehitur. Alter eſt vir doctus Ez. Spanhemius, quem Vatiniano odio proſequitur, et quem omni data occaſione perſtringit iratus Iacobus. Reliquis vero peperciſſe gladiatorem noſtrum putas? Lege quaeſo, quid de Pichena, Freinshemio, Heinſio, Noriſio, Altingio, Borrichio, Camdeno, Capaccio iudicet? Miraberis hominis ruſticitatem. Me quidem piget conuicia illa huc tranſcribere. Erat eodem tempore ad manum Arrianus ex editione potentiſſimi Iacobi, quem eo lubentius euolui, quo iucundius mihi fuerat, iratum hunc tyrannum et prope furentem videre. Nec fefellit me ſpes. Primum auctores editionis Friſicae male a noſtro habentur. Vulcanius *audacter et perperam Arriani contextum mutauit:* Facius *ineptus*, *ridiculus*, *nugaciſſimus* audit. Deinde in alios impetum facit, vt in Huetium, Scaligerum, Io. Iac. Hoffman-

mannum, Valeſium, et cui maxime ſe infeſtum prodit, Voſſium. Manum etiam conſerit cum Freinshemio, quem *prae Latinitatis ſtudio inſanire* ſcribit. Nempe Iacobus quoque noſter prae rixandi ſtudio quibusdam inſanire videbitur. Plura Gronouii non legi ſcripta. Cur enim mihi conuitia aere emam, quae in macello, in tonſtrinis, in foro gratis audire poſſum? Aiunt vero, eum compluribus aliis in libris agreſtis atque barbari animi imaginem reliquiſſe. Sed mittamus, cariſſime, tandem aliquando hunc Grammaticum. Neſcio quomodo accidit, vt nobis hodie perpetuo hic ante oculos verſaretur. Abi igitur, mi bone Iacobe. Nunquam te aduocabimus poſthac, niſi fortaſſe Grammaticus aliquis nobis conuitiis proſcindendus ſit. Tunc te doctorem eligemus. Eſt enim diuina in te facundia. Nunc vero

Sicelides Muſae, paullo maiora canamus.

Non facile aliquis omnia bella a regibus geſta commemoret. Sunt enim plura, quam quae ſtatim nobis in animum memoriamque redeant. Verum aeque difficile puto, Grammaticorum bella enumerare. Fuitne vnquam atrocius bellum geſtum eo, quod inter Burmannum et Clericum exarſit? Quidquid hic ſcripſit, illi diſplicuit: quidquid ille molitus eſt, hic reprehendit: omni data occaſione alter alterum inhumanis verbis perſtrinxit. Clericus Burmannum Grammaticaſtrum, Burmannus Clericum Philoſophaſtrum vocare: hic bonam Logicam, ille phraſeologicam eruditionem irridere. Vterque ſocios belli habere: vterque ſibi quosdam adiungere, qui vna certamen inirent. Quem vero dicamus exitum fuiſſe belli per tot annos tanta cum acerbitate continuati? Vterque ſe turpiter dedit et ſapientiori-

bus

bus risum mouit. Quam acriter disputauerunt patrum memoria complures in Gallia et Anglia de praestantia veterum atque recentiorum auctorum!

Arma virosque cano, Musae adspirate canenti.

Quot enim et quales duces adspicio! quantos viros in arenam descendere video! Video Fontenellium, Guil. Templium, Perraltum, Boelauium, Guil. Wottonum, Furetierium, Longe-Pierium, La-Mottum, Terrassonium, Fourmontum, Boiuinium, Pelegrinum, Gueretium, Euremondum, Crusatium, Gasonium. Nonne etiam foeminam adspicio? Luditne fortasse oculos error aliquis? Ita est. Foemina

— graditur bellum ad crudele,
— et nostris nequicquam cingitur armis:
— — non illa colo calathisue Mineruae
Foemineas assueta manus: sed praelia virgo
Dura pati.
Et nunc lenta manu spargens hastilia densat,
Nunc validam dextra rapit indefessa bipennem.

Anna Dacieria haec Camilla vocatur: dextra Homerum tenens, sinistra La-Motto grauiter minans. Sed exeamus praelio: relinquamus has turbas, ne aduersi aliquid nobis accidat. Si ardorem, Vir doctissime, quo incensi Grammatici rixantur, si conuitia, quibus se inuicem proscindunt, si seuerum vultum, quo pugnam ineunt, videas, de Romani imperii salute agi putes. Hannibalem ante portas esse, aut de Carthagine delenda deliberari credas. Sin vero causam huius contentionis attentius consideres, ridebis: ludum iocumque haec omnia esse dices. Valde contumeliosus et acerbus fuit Franciscus Hedelinus in Aegidium Menagium. Ille actionem fabulae Terentii, quae Heautontimorumenos inscripta, decem aut ad summum duodecim horis contineri, hic plu-

res

res et ad minimum quindecim horas ad eam requiri ait. Quid cenſes de hac controuerſia? Niſi vehementer erro, non multum tua ſententia a mea abhorrebit. Legamus Terentium: qui e bonarum fabularum lectione percipi poteſt, fructum capiamus: mores hominum intueamur: vitam prudenter inſtituamus: leporibus et facetiis nos delectemus: vitia, quae poeta irridet, fugiamus: ſapientibus praeceptis, quibus hae fabulae diſtinctae, animum emendemus. Quid reliqua curemus? quid horas numeremus? aut, ſi quoque ingenioſi eſſe cupiamus, quid rixemur? Perlege, quaeſo, Terentii hanc fabulam, eaque perlecta in te ipſum quaſi deſcende, et quam vtilitatem hinc perceperis, examina. Deinde Menagii et Hedelini libros eadem animi attentione perlege. Hac lectione finita iterum te ad Terentianam fabulam legendam confer, et hac lecta mihi expone, vtrum maiori tibi voluptati et vtilitati nunc haec lectio fuerit, an antea? Tantum profecto abeſt, vt ex altercationibus his Grammaticorum vtilitas aliqua in bonas litteras redundet, vt multum potius detrimenti illae capiant. Vere Maturinus Simonius in libello de litteris pereuntibus, qui vt ab omnibus Grammaticis et Criticis diligenter legatur, valde opto, vere igitur tertiam cauſam interitus litterarum ab altercationibus Criticorum arceſſit. Bene profecto et ſapienter Grammatici eiusmodi lites latino ſermone conſcribunt. Nam ſi vernacula oratione has nugas euulgarent, dic ſodes, quid ſentirent mulierculae, quid opifices de eruditione et viris eruditis? Hem! dicerent, quae iſtae nugae? eſtne haec ea doctrina, qua multi inflati incedunt? Eos, qui longis illis capillamentis ornati tantam prae ſe ferunt ſapientiam, ad tales ineptias delabi? de ſyllabis et voculis et neſcio quibus

minu-

minutiis diſputare, et quaſi plauſtra conuiciorum, vt puerulos, conuehere? Res maiores hoſce agere putemus, quam paruulos par impar ludentes, aut mures iungentes ploſtello? Audesne hoſce ſermones, Vir cariſſime, reprehendere? Veri ſunt. Digni ſumus contemtu et riſu laniorum et cetariorum, tantas ſi turbas ob res leuiculas moueamus. Atque eadem eſt eorum omnium ſententia, qui ſupra ſyllabariam eruditionem ſapiunt. Mira mihi ſemper viſa ſunt, quae Antonius Maioragius, furore quaſi abreptus, dicit: *O vitae Grammatica dux! ſcientiarum omnium indagatrix, expultrixque ignorantiae! — tu igitur ſola totum terrarum orbem regis ac gubernas. — tu tuo diuino fulgore cuncta colluſtras, tu mores hominum componis, tu vitae rationem inſtituis, tu priuatam domum cuſtodire, tu ciuitatem regere doces. — O diuina atque admirabilis ſcientia! o mentis noſtrae clariſſimum lumen! o vitae humanae praecipua moderatrix.* Sanusne fuerit Maioragius, haec aliaque magnifice dicens, an animi morbo laborauerit, nolo diſputare. Vehementer autem principem aliquem Grammaticum videre cupio. Audiuiſti enim modo, Grammaticam ciuitatem regere docere. Quae tum foret huius ciuitatis facies? *bella, horrida bella cerno.* Si de ſalute ciuitatis deliberandum eſſet, noſter Grammaticus de gerundiis et ſupinis diſputaret: ſi legati audiendi, hic Scioppium aut Sanctium legeret: ſi ſumtuum ratio eſſet ineunda, hic phraſeologiam conſcriberet et formulas numeraret: ſi de finibus imperii vel defendendis vel proferendis ageretur, hic veſtigia litterarum in antiquo codice indagaret. Quid multa? non poenitet verba Petri Aurelii adſcribere, vnde, quid ego de Grammaticis et Criticis ſentiam, optime intelliges. *Qui nil niſi Criticus ſit, mere criticus,*

ticus, *κενοκριτικὸς*, *litterularum et formularum grammaticus auceps*, *fecularis litteraturae quadam notitia tumidus magis*, *quam plenus*, *theologiae-fcientia leuiter tinctus*, *totus litterae*, *totus chartae feruus*, *hunc criticorum omnis natio et in primis theologorum criticorum e choro fuo exiget*, *neque tali ἀκρισίᾳ venerandum critici nomen inquinari patietur*. *Rerum iuxta et litterarum peritum effe oportet*, *qui hoc nomen quaerat*, *et iudicio praeterea fummo quodam*, *quae ipfa critici notio eft*, *praecellentem*. Digna profecto haec verba, quae omnium Grammaticorum mufeis aureis litteris infcribantur! Mihi quidem nunquam ex animo excident, quae Arnoldum Cafaubonum Ifaáco, filio, refpondiffe audiui, cum hic illi commentarios in Diogenis Laertii de vitis et dogmatibus Philofophorum libros offerret. Laudo, Arnoldum dixiffe aiunt, mi fili, ftudium tuum, verum hoc fcito, rem gratiorem te mihi facturum, fi vel vnum dictum facrae fcripturae, difficultatibus quibusdam obftructum, explicueris, quam fi mille fcriptorum profanorum loca deprauata correxeris. Nec placuit mihi quidquam magis iis, quae Gronouius ad Nic. Heinfium fcribit: *Ego a prima aetate in lectione veterum id potiffimum habui*, *vt mei mores emendarentur*, *non vt apices et puncta librorum*. *Si interim frequenter legendo eo profecimus*, *vt genium capere fcriptoris*, *ipfumque fua mente et ftilo donare poffem*, *in lucro deputaui*. *SED nihil infelicius magiftris*, *qui in litteris et fyllabis confenuerunt*, *pulicum faltus metiuntur etc.* Nihil pulchrius legi, nihil verius dictum. Neque credo, me meliori fententia epiftolae meae, quae fere ad libelli magnitudinem excreuit, finem imponere poffe. Quare nil amplius addam. Tu valebis, et fi tibi non omnino

 opinio

opinio noſtra diſplicuit, plaudes. Sin tibi minus probetur, quid poſſum aliud Tibi optare, quam vt inter Criticos et Grammaticos conſeneſcas, eorumque vocibus Tuae aures vndique circumſonent?

IX.

De populari dicendi genere proluſio.

Praeter caeteras diuinas virtutes Georgii III. quae annalibus aeternisque hiſtoriae monimentis tradendae, non hic exponendae ſunt, quas haec aetas admiratur, quarumque ad exemplum poſtera, ſi bona est, mentes diriget, ſaepenumero animus meus illam, qua, cum litterarum bonarumque artium, tum Georgiae ſuae Auguſtae, ſaluti conſulit, curam et amabilem liberalitatem venerabunda cogitatione proſequi geſtiit. Nam ſi merito magnas laudes tribuimus principi, qui rebus tranquillis et quietis litteras, quae pacis alumnae audiunt, fouet et alit, qua tandem laude, qua admiratione dignum eſſe dicamus Sapientiſſimum Regem, qui hoc turbulentiſſimo tempore, quo omnia grauibus motibus concuſſa, tota fere Europa ſtudiis, armis et caſtris diſſidet, alia litterarum domicilia moeſtis caſibus afflicta proſtrataque iacent, alia metu curisque ſuſpenſa ſunt, quo hoc agit, vt tempeſtatem malorum grauiſſimam a patriae ceruicibus repellat, et orbi terrarum pacem, Germaniae libertatem, ciuibus otium reddat, inter tot tamen infinita maximaque negotia, in ſacris, quibus dies noctesque diſtrictus tenetur, pro reipublicae ſalute curis et laboribus, litteras reſpicit et regia munificen-

ficentia alit, ingenia excitat, bonarumque artium ſtudia non ſolum protegit, ſed ornat etiam et exhilarat. Ita feliciter pacis bellique artibus coniunctis, verus ille Hercules Muſagetes non ſolum efficit, vt illas audiat voces, quas cum Octauius Auguſtus olim Puteolanum ſinum praeteruehens a nautis et vectoribus, canditatis, coronatis, thuraque libantibus miſſas acciperet, magis delectatus iis eſt, quam omnibus triumphis: *per illum ſe viuere, per illum nauigare, libertate atque fortunis per illum frui:* ſed perſonant etiam auguſtae aures gratis et iucundis Muſarum carminibus, complectentium Regem ſuum, illum animum laudantium, in quo pietas, ſapientia, amor ciuium ſibi ſedem et ſacrarium elegiſſe videantur, atque ſeris nepotibus huius ſuae felicitatis memoriam tradentium. Obſtupeſcent vero poſteri, cognoſcent auitum in Georgio III. ſpiritum viguiſſe, praedicabunt terrarum harum vel turbulentiſſimis temporibus felicem conditionem, laudabunt ſapientiſſimorum, quos in conſilio habet, virorum prouidam curam, atque etiam hinc ſe intelligere laetabuntur, merito ſe ſtatores et vindices litterarum, quos habeant, Munchhuſiorum nomine appellare. Nempe commemorabunt ſibi inuicem non ſine voluptatis ſenſu, fortaſſe nec ſine deſiderio, Munchhuſium olim eadem cura, qua rempublicam, litteras complexam eſſe et fide: illo nihil cogitari potuiſſe amantius litterarum, nihilque ſimul amabilius: benignitate, liberalitate et ſapienti de eruditione et hominibus eruditis iudicio ſummum virum effeciſſe, ne noſtra aetas antiquis illis Auguſti aliorumque principum, quorum nomina litterarum amor aeternitati commendauit, temporibus felicitatem, multorum ore celebratam, inuidiſſet. Huius igitur meae admirationis venerationisque in

P 2 ani-

animo infixae ſenſuque intimo declarandae exoptatiſſimam mihi occaſionem dedit Auguſtiſſimi Regis clementia, cuius, ſi purpuram nunc non licet, maieſtatem certe palam adorare animus eſt. Etſi enim magis re, quam verbis, neque tam oratione, quam perpetuo potius ſtudio nos Regio beneficio dignos (ſi modo id efficere poſſimus. certe toto animo omnibusque viribus elaborabimus) reddere nobis conſtitutum ſit: iuuat tamen publice fidem noſtram Georgiae Auguſtae obſtringere, atque apud quam plurimos ſenſum noſtrum teſtatum relinquere. Habebitur haec concio d. XV. huius menſis, poſt horam XI. cui vt Prorector Academiae etc. intereſſe velint, ea, qua par eſt, pietate, obſeruantia, humanitate oro, atque ita rogo, vt, hoc impetrato, magno me beneficio affectum eſſe iudicaturus ſim.

Atque ita quidem, quod res poſtulat, peregimus. Reliquum eſt, vt ex veteri conſuetudine inſtitutoque maiorum diſputatiunculam quandam attexamus. Cuius argumentum quaerentibus nobis lubuit, de populari dicendi genere quae noſtra ſententia ſit, exponere. Coniuncta enim haec res eſſe videtur cum oratione illa, quam nos habituros eſſe indicauimus, et in qua illam veterum ſcriptorum virtutem, quantum poſſimus, imitabimur. Iuuat etiam ſpecimen dare diſciplinae noſtrae, viris eruditis non iniucundum fortaſſe, iuuenibus etiam vtile. Hoc igitur agamus.

Multos ſaepe queri audiui et dolere, vim illam dicendi, quam in antiquis oratoribus admirata ſit omnis aetas, et eloquentiam omnino e medio ſublatam eſſe, neque illius vlla hodie exſtare veſtigia. Quem enim, eos dicere memini, cum Demoſthene com-

comparare audebis? quem cum Cicerone? quis ſe illorum ſimilem profitetur, qui, quemcunque in animis hominum motum res et cauſa poſtularet, eum dicendo vel excitare poterant, vel etiam ſedare? cui tribues illud vehemens, incitatum, incenſum dicendi genus, quod rapidiſſime fertur, nec vllo modo ſuſtineri poteſt? quis nunc ſe omnia odio, inuidia, miſericordia miſcere, imperare animis auditorum, eosque, quo velit, ducere poſſe ſperat? quas nunc conciones aut exclamare, aut inflammatas exardeſcere, aut lacrimantes dimitti videmus? in quo exhorreſcunt, vt olim? quem audiunt ſtupefacti? Quos quidem homines licet non negem verum dicere, idem tamen minime neceſſarias has querelas eſſe exiſtimo. Certe non meminiſſe videntur, illam omnium reginam atque flexanimam eloquentiam hodie non locum inuenire, vbi vires ſuas exſerat: non fieri poſſe, vt, ſi vel ea, quae olim in Periclis, Suada in cuiusdam labiis nunc ſedeat, ille tonet, fulguret, omniaque permiſceat: praeteriiſſe illa tempora, quibus Philippus Demoſthenis vocem magis timeret, quam totum Athenienſium exercitum, quibus Cicero eiiceret vrbe comprimeretque Catilinae furorem, atque Caeſari inuito reluctantique Ligarium eriperet, quibusque totus populus, velut mente captus, admirationem ſuam plauſu et acclamatione confiteretur. Ita enim profecto eſt. Exſpirauit vna cum libertate Graecorum et Romanorum vis illa diuina oratoris, ex ampliſſimo campo in ſummas anguſtias compulſi, neque tam facultas (nunquam enim in tribuendis ingenii virtutibus nouercam, ſed ſemper aequam et benignam matrem ſe praebere naturam puto) quam occaſio, eadem arma, quibus veteres omnia vicerunt, tractandi deeſt. Non orator homines eloquentia ſua in ciui-

 tate

tate retinet aut eiicit ea, non innocentiam iudiciorum poena liberat, ſceleſtorumque fraudem ſupplicio conſtringit, non excitat, inflammat, aut mitigat populum. Quid? quod, ſi verum dicere velimus, nomen fere totum oratoris ſublatum, ſolum rhetoris relictum eſt.

Sed incidunt tempora, quae eloquentiam non dominantem in affectibus, ſed placidam, non irrumpentem in pectora, ſed leniter influentem in animos, non oratorem vehementem illum, atrocem, ardentem, ſiue Graeciae, ſiue Romae, ſed iucundum, comem, gratum, beneuolum, poſtulent. Nam et laudandus eſt aliquis, et gratiae agendae ſunt, et gratulamur aliis bona quaedam, et munus aut auſpicaturi aut alteri tradituri verba facimus. In his et paucis aliis rebus ſe exerceant oportet noſtra aetate eruditorum hominum ingenia: in his ſe oſtentent noſtri oratores. nam dabimus, quoniam cupere videntur, illis hoc nomen. Et quis non putet, eos in his feliciter verſari, et ita dicere, vt elegantes, doctas, nec expertes humanitatis et vrbanitatis aures delectent? Primum enim non opus eſt illa vehementia atque contentione: deinde omnia videntur eſſe in medio poſita, omnia ſe ipſa offerre oratori. Quae cum ita ſint, eo magis mirari lubet, quomodo accidat, vt in eiusmodi orationibus aut inepte ingenioſi ſint homines, aut elingues et moleſti, aut de rebus dicant, quae ad rem propoſitam minime pertineant. Atque etiam, quod fere incredibile eſt, viri non indocti, quique de aliis rebus probabiliter dicunt, tamen ſi panegyricum ſermonem ſcribere volunt, adeo obmuteſcunt, vt in alio terrarum orbe pedem poſuiſſe videantur. Adeo nihil proferunt dignum hominis docti elegantia,

tia, nihil, quod Graecorum Latinorumque ſcriptorum venuſtiſſima monimenta ab iis lecta eſſe indicet, nihil, quod eos ab hominibus indoctis, ſed vſu quodam atque aut educatione domeſtica aut elegantiori viuendi genere politis diſtinguat, quosque plerumque de his rebus aptius et luculentius dicere audimus illis, quorum ſe pectore tota vetuſtas condidiſſe creditur.

Atque mihi quidem cogitanti de cauſis huius rei, repetendae mihi illae potiſſimum videntur cum a lectione veterum oratorum non recte inſtituta, tum ab ineptiis quibusdam, quae nouorum rhetorum plerorumque libellos obſident. Nam, vt de illa pauca dicam, quid faciunt plerique, cum vel interpretantur antiquorum auctorum libros, vel legunt ipſi? Dicendi formulas explicant, excerpunt, ediſcunt: quae ad antiquos ritus pertinent, colligunt: de figuris quaedam, tropis, periodis, quae e vulgaribus libellis memoriae mandarunt, monent. Quotus vero quisque de venuſtate, quae in apte tractanda re apparet, deque elegantia per omnem orationem aequabiliter fuſa, ſollicitus eſt? quam eleganter ſcriptor rem propoſuerit, diuiſerit, ornauerit, cogitat? quibus artibus aſſenſum auditorum elicuerit, videt, et, quomodo easdem virtutes felici imitatione aſſequatur, intelligit? Quam pauci aut norunt ipſi delectum et nitorem verborum, magnificentiam translationum, integritatem et veritatem ſententiarum, vrbanitatem iocorum, lepores, acumina, et illam, qua nihil ſuauius, naturalem pulchritudinem, aut ſuos docent: quid differat virilis et fortis ornatus ab effeminata leuitate: quae ſit in narrando lux, breuitas, magnaque ſaepe arte conciliata fides: quae ſit incomtae orationis, ab omnibus fucati coloris medicamentis abhor-

rentis ſolamque elegantiam et munditiem adamantis iucunditas, quomodo illa nunc, vt amnis pellucidus virentibusque vtrinque ſiluis inumbratus, per pictos campos lente fluat, nunc, vt torrens, multo cum ſonitu monte praecipitet, omniaque ſecum abripiat: quam apte ſit ex ſublimi, mediocri, tenui dicendi genere, vt rei natura poſtulare videtur, mixta et temperata oratio: quanta denique, quam voluptatem pauci ſentiunt, rationem pauciores intelligunt, arte collocata ſint verba rebusque accommodata compoſitio. Hunc vero prope ſummum, certe iucundiſſimum fructum e veterum lectione qui aut nequeant, aut nolint capere, neque ideo videant, quid deceat, et quid hanc cauſſam, hoc tempus, hanc perſonam, apud hos homines, deceat, quid mirum ſi in orationibus et epiſtolis tam parum venuſti ſint? Quodſi demum acceſſerit nullus vſus, nulla cum hominibus elegantioribus conſuetudo, quis eos ſine faſtidio aut audiet aut leget? Sed erunt de his alio tempore plura dicenda, et ſunt iam dicta multa a viris eruditis. Videamus igitur, quibus praeceptis quaue doctrina adeo corrumpi exiſtimemus ingenia iuuenum, vt, ſiue, quoniam, quo ſemel imbuti ſunt teneri animi, guſtum plerumque retinent, ſiue, quod, quae pueri didicerunt, ſenes nefas putant dediſcere, vt igitur per totam reliquam vitam infantes maneant et odioſi in dicendo. Animaduertiſſe mihi videor, pluribus recentiorum rhetorum libris inſpectis, (nam legere eos nunquam volui) reliquiſſe illos, quam veteres iniuerint, viam, atque, praeter alia minus recta, etiam praecepta de *inuentione thematis* poſuiſſe. Quibus conſideratis, venit mihi in mentem, quod cuiuis Graecorum et Latinorum oratorum contubernio innutrito in mentem venire debet, illud, quod Cicero de Chry-

ſippi

ſippi rhetorica dicit: ſi quis obmuteſcere concupierit, nihil illum aliud legere debere. Quid enim dicamus? Imperium aliquis principi, aut victoriam, aut felicem e bello reditum ſi gratulari debet, nonne vberrimam iam habet ad dicendum materiem? nonne iam adeſt res, de qua verba facienda ſunt? Quid igitur opus eſt inuenire, quod iam habes? quid quaeramus, quod ante oculos eſt? Quanto prudentius hi rhetores facerent, ſi docerent iuuentutem intelligere, atque cognoſcere in quacunque re, de qua dicere velimus, quid habeat illa ad perſuadendum, ad delectandum, ad docendum idoneum, atque in hoc veterum exemplum ſequerentur. Luculentus de inuentione locus eſt Ciceronis in libro de partitione orator. *c. 2. C. F. Quoniam igitur inuenire oratoris primum eſt, quid quaeret? C. P. Vt inueniat, quemadmodum fidem faciat iis, quibus volet perſuadere, et quemadmodum motum eorum animis afferat. C. F. Quibus rebus fides fit? C. P. Argumentis, quae ducuntur ex locis, aut in re ipſa inſitis aut aſſumtis.* Si, quae idem in libris de inuentione, (*L. I. c. 7.*) tum Dionyſius Halicarnaſſeus in libro, quem τέχνη inſcripſit, Cornificius in Rhetor. *L. I. c. 2.* Quintilianus in Inſtitut. Orat. *L. III. c. 4. et 5.* quae antiqui rhetores nuper a Claudio Capperonnerio ita editi, vt a Capperonnerio aliquo omnes exſpectauerunt, de hac re praeceperint, legerimus: eos videbimus longe aliter de inuentione iudicaſſe, quam noſtri homines ſolent.

Hinc vero duplex malum ortum eſt. Primum haec fuit origo nitentis, vt Quintilianus dicit, caſuris, ſi leuiter excutiantur, floſculis dicendi generis, quod, puerili fuco illitum, ſi vel imperitis placeat, tamen, ſi

 iudi-

iudicium acrius adhibeas, mentitum colorem ſtatim exuit, et quadam vix enarrabili foeditate palleſcit. Solebant homines patrum fere noſtrorum memoria, quoties orationem aliquam ſcribere vellent, faſtos inſpicere, quo quisque dies nomine ſignatus eſſet, diligenter obſeruare, atque inde dicendi argumentum repetere. Alii acutiores his et ingenioſiores, ſi dIs placet, nomina eorum, de quibus aut ad quos dicendum erat, miſere torquebant, adeoque politulo limatuloque ſuo ingenio indulgebant, vt, ſi Quintilianus aut veterum rhetorum aliquis in vitam redire, eosque diccntes audire potuiſſet, idem iis accidiſſet, quod Erasmo epiſtolas obſcurorum, quos aiunt, virorum legenti. Nolo de aliis inuentiunculis quidquam dicere, quae ſtomachum neſcio an riſum magis moueant. Quod cum intelligerent quidam, aliam iniuerunt viam, atque ex litterarum ſtudiis orationis materiem arceſſendam eſſe cenſuerunt. Atque haec opinio tam late diſſeminata eſt, totque hominum animos occupauit, vt vulgo, ſi, aut muneris adeundi, aut gratiarum agendarum cauſſa, oratio habenda ſit, rem ipſam dimittant, certe paucis tantummodo attingant, atque de omnino alia dicant. Sperat aliquis, ſe orationem auditurum eſſe, qua orator principi felicem diei natalis reditum gratuletur, laetitiamque ciuium oſtendat? audiet eruditam diſputationem ex hiſtoria antiquitatisque memoria repetitam. De pace alius ſe dicturum eſſe pollicetur? Enumeratis igitur, quas ciues perpeſſi fuerint, calamitatibus, cauſſas laetitiae oſtendet? cui tantum beneficium debeatur, demonſtrabit? in illius laudes excurret, vota et preces pro ſalute reipublicae faciet? immo vero multa erudite de ara pacis, de dea Victoria, narrabit. Mortui laudes ſe celebraturum eſſe alius indicat? Ea ſpe accedi-

ceditis, vt virtutes illius cognoſcatis, vt, quae imitatione digna egerit, audiatis. Fallimini. ſubtilem aliquam, e media philoſophia ductam, et, vt fit, obſcuram parumque iucundam auditu diſputationem accipietis. Atque in hoc genere non moleſtos tantum clamatores, ſed viros etiam eruditos parum, quid deceret, cogitaſſe, multis, ſi luberet, exemplis poſſem oſtendere. Euoluat aliquis orationes virorum doctorum a Io. Erhardo Kappio editas, et de quibus illi munera auſpicaturi dixerint, attendat. Alium videbit de Mohammedaniſmo e veterum Hebraeorum ſcriptis magna ex parte compoſito dixiſſe, alium linguarum orientis vtilitatem, multis e lingua Graeca, Hebraica, Aethiopica, Arabica, Syriaca, exemplis prolatis, expoſuiſſe intelliget. At ſunt hae orationes multo ingenio elaboratae, multa induſtria conſcriptae. Fateor. Plurimas in illis litteras, nec eas vulgares, ſed interiores quasdam et reconditas fuiſſe eaedem teſtantur. Non nego. Iucunda eſt illarum lectio harum litterarum ſtudioſis. immo vtilis etiam.

Sed nunc non erat his locus: et fortaſſe cupreſſum
Scis ſimulare: quid hoc ſi fractis enatat exſpes
Nauibus etc.

Quare ego quidem cum priſcorum rhetorum auctoritate adductus, tum exemplis eruditiſſimorum hominum confirmatus, quemadmodum lucrum eſt maximum, vt ille ait, pecuniam in loco negligere, ita etiam vtiliſſimum eſſe interdum iudico, ſpeciem doctrinae negligere. Atque qui hanc ſibi ipſe poſſit vim afferre, vt abiiciat vanam illam doctrinae gloriam, qui ita dicat, vt decet, vt rei natura poſtulat, qui doctrina liberali politis hominibus placere ſtudeat, huic ego tribuo popularitatem, omni eruditionis vanitate iucundiorem et maiorem.

Sed exponamus de hac re accuratius. Atque primum quid tam populare esse debet, quam oratio? Dicendi omnem rationem Cicero docet in medio esse positam, communi quodam in vsu atque in hominum more et sententia versari: vt in caeteris id maxime excellat, quod longissime sit ab imperitorum intelligentia sensuque disiunctum: in dicendo autem vitium vel maximum esse a vulgari genere orationis atque a consuetudine communis sensus abhorrere, *de orat. I, 3.* Neque eiusdem ingenii neque studii orator auditores habet, quorum tamen omnium rationem habeat necesse est. Vnusquisque eo animo eaque spe accedit, vt non solum audiat, sed audiat etiam cum voluptate, atque intelligat oratorem. Hic vero, si de subtili aliqua re aut obscura agat, quomodo illius spei atque voluntati satisfaciet? Sint etiam, quod tamen raro accidit, sed sint omnes, qui audiunt, bene exculti litteris et eruditi. Erunt tamen eorum quidam, qui te de re a studiis suis aliena disputantem audiant inuiti: erunt, qui aliqua minus intelligant, erunt, qui sudent et aestuent, quibusque nihil iucundius feceris, quam si cito desinas. Eosdem autem nonne eleganti popularitate et retinere et delectare poteris?

Deinde habet importuna illa eruditionis ostentandae cupiditas hoc plerumque incommodi, vt, si adsint homines gustu quodam elegantiae et venustatis imbuti, atque politiorum hominum vsu et consuetudine exculti, ii oratorem contemnant, et de litteris ipsis tenuiter sentiant. Certe illae opiniones, non vitae sed scholae vulgo homines discere: eos, qui se Graecarum Latinarumque litterarum studio dederint, quo doctiores sint, eo ineptiores ad dicendum agen-

agendumque esse: obscuram esse eorum diligentiam, eosdemque, si ex hac domestica exercitatione et vmbratili in solem atque puluerem educantur, lucem ferre non posse, mihi hinc ortae videntur. Atque etiam quis aut reprehendat, aut his succenseat, si oratorem, vt hoc exemplo vtamur, gratias acturum, multis Graecorum et Latinorum poetarum et philosophorum locis allatis, ostendere audientes, hominem ingenuum gratum esse debere, sibi a risu temperare nequeant. Lepide Werenfelsius in libro, quem de meteoris orationis scripsit, ingenioso, eos irridet, qui, vt maiorem orationi maiestatem concilient, leuissima quaeque, et de quibus nemo dubitet, magni alicuius ex antiquitate viri auctoritate comprobent, neque se solem lucere dicere posse existiment, nisi idem Agesilaum, aut Arragoniae regem, Alphonsum, dixisse ostendant, eosdemque non minus inepte facere addit, quam si aliquis sodales ad hilaritatem excitaturus in conuiuio graui hac oratione ordiatur: „Non „minus vere, quam eleganter Venusinus olor, nunc, „inquit, est bibendum.„ Adeo verum est, quod Cicero in aureolis de oratore libris saepius inculcat: semper in omni parte orationis, vt vitae, quid deceat, esse considerandum. Quod qui negligunt, eos fere similes fieri videmus isti, quem vir elegantissimus, Balzacius, in epistola ad Gabr. Candillaldum *p. 632. ed. Kapp.* procuratores, quos vocant, in foro Parisiensi sic compellasse narrat: „Docebit vos, o „procuratores, vestrum officium Homerus Iliados K. „et Eustathius, scholiastes Homeri, in illos versus„ atque memoriter ad decem aut duodecim versus recitasse.

Porro etiam ipsa rei natura non magis hanc popularitatem requirere videtur, quam exemplum veterum

rum ſcriptorum omnium. Non prius ſurges ad dicendum, quam tibi loquendi occaſio data fuerit. Si, vt rem clarius exponam, alicui honores aut munus tradis, nonne iam habes argumentum? Quid *de inuentione thematis* ſollicitus es? Nam ſi de alia re, ſiue e Philoſophia, ſiue e quacunque litterarum parte repetita exponis, non illud agis, quod debes, et cuius cauſſa concionem habes, ſed ad rem minime huc pertinentem delaberis.

Denique videamus ipſam originem eloquentiae. Quibus quaeſtionibus illam debemus? finitis an infinitis? profecto iis, quae ad certos homines, et tempora certa pertinent: infinitae autem ſubtilitati philoſophorum relinquebantur. Capiunt etiam illae vim, copiam et diuitias eloquentiae: hae vmbratilem diſputationem admittunt: illae in foro atque in luce, hae in ſchola tractari cupiunt pleraeque Quare Cicero, in oratione pro Murena de Stoicorum opinionibus dicturus quaedam, quaſi veniam huius audaciae orat. *Et quoniam*, inquit, *non eſt nobis haec oratio habenda aut cum imperita multitudine, aut in aliquo conuentu agreſtium*, audacius *paullo de ſtudiis humanitatis*, quae et mihi, et vobis nota, et iucunda ſunt, *diſputabo. cap. 29.* Quidam tantummodo, ſiue vt ingenii gloriam aucuparentur, ſiue vt, quantum valerent dicendo, oſtenderent, vniuerſas quaeſtiones tractare coeperunt. Qui ſi recte iudicare velimus, cur hoc fecerint, popularitatis ſtudio hanc viam iniuiſſe videntur. Cicero certe in Paradoxis ſe animaduertiſſe dicit, ſaepe Catonem, in ſenatu ſententiam dicentem, locos graues e Philoſophia tractaſſe, abhorrentes ab vſu forenſi et publico, ſed dicendo tamen conſecutum eſſe, vt illa omnia etiam populo probabilia

bilia viderentur, atque ideo etiam ſe tentare voluiſſe, poſſentne illa in lucem proferri et ita dici, vt probarentur, an alia quaedam eſſet erudita, alia popularis oratio. Quemadmodum autem aliae infinitarum quaeſtionum ornatum orationis et nitorem admittunt, ita aliae illum omnino reſpuunt. Has igitur prudens orator plane omittet: reliquas quomodo tractare debeat, ſtatim videbimus.

Eſt enim nunc ipſa popularitatis natura et indoles explicanda, quanquam, quod Roſcium in ore habuiſſe legimus: *caput eſſe artis decere, quod tamen vnum id eſſe, quod tradi arte non poſſit*, etiam de hac oratoris virtute dici debere videtur. Popularis igitur orator totum animum omnemque cogitationem in illa re, quae dicendi occaſionem praebuerit, defiget: non ſolum, de qua re ſibi dicendum ſit, ſed etiam, quid hoc tempus, hunc locum, hos auditores deceat, videbit: hinc totius orationis conformandae rationem petet, eamque ita inſtituet, vt, quae ſibi propoſuerit, conſequatur. Indagabit cauſſas: naturam rei conſiderabit: auditorum ſenſum et voluntates obſeruabit: atque inprimis hoc dabit operam, vt mores dicentis ex oratione pelluceant et quodammodo cognoſcantur, vt optabilem de prudentia, probitate, beneuolentia, modeſtia ſua in animis audientium opinionem concitet. Sententiis vtetur neque ſubtilioribus, neque obſcuris, eoque dicendi genere, quod ſuae cauſſae maxime accommodatum eſſe intelligat. Nam illud ne praecipiendum quidem eſſe videtur, fugiendum eſſe omnem horridum et incultum ſermonem, omniaque euitanda, quae difficilius ab audientibus intelligantur. Denique totam per orationem elucebit illa venuſtas, quae non tam in ſingulis verbis

bis cernitur et formulis, quam toto orationis habitu politi ingenii hominem indicante, vt dicit Ernestius ad *Sueton. Iul. c. 56.*

At, dixerit aliquis, neque res omnes neque auditores talem orationem patiuntur. De vtroque videamus. Primum vix putamus fieri posse, vt neque caussa, neque tempus, neque auditores, neque alia cum caussa coniuncta, oratori, si modo non elinguis sit, probabilem dicendi materiam praebeant. Neque enim habebis orationis habendae occasionem, nisi res alicuius momenti inciderit. Talem vero si nacti fuerimus, pudeat nos vnquam nomen viri eruditi vsurpasse, nisi auditores oratiuncula iucunda tenere possimus. Sed dabo, quod fieri non potest. Sit tenuior caussa: sit maior illius vilitas, quam vt ornari queat, tum etiam oratorem popularem esse volo. Transferet orationem ad locum, quem rhetores dicunt, communem, sed transferet ita, vt illum neque vi attraxisse, neque precario accepisse, verum ille se ipse obtulisse videatur. Non solum igitur ita coniunctus erit cum re praesenti, vt vnusquisque sibi in mentem illum venire debuisse existimet, sed tractabitur quoque sic, vt res propria vbique eluceat. Tali enim modo quasi fallet auditores, fraudemque illis faciet, neque iniucundam, neque facile a quoquam, nisi a perito artifice, faciendam. Quod vero non auditoribus omnibus eiusmodi orationem probatum iri aliquis dixerit, fatemur lubenter, quid sit bene et apte dicere, multos ignorare. Atque ideo, cum consuetudinis magna sit plerumque vis, eique aduersari multi nefas existiment, bene vir quidam eruditus, vbi de caussis intereuntium litterarum vere et docte exponit, si quis se ad talem, quales plerae-

que

que ſunt, orationem habendam coactum videat, illum orare debere dicit priſcae eloquentiae gnaros et ſtudioſos, vt ſtatim diſcedant: nam ſe velle eſſe ineptum: (quibus verbis Craſſus apud Ciceronem ſe Scaeuolam in prenſando dimiſiſſe narrat) iis praeſentibus ineptum ſe minime velle. Verum neque puto fieri poſſe, vt aliquis hoc timore a recta via deducatur. Nam, ſi, qui audiunt, docti ſunt, ſi iidem, quid ſit bene et recte dicere, intelligunt, quid oratori poteſt iucundius eſſe doctorum virorum, quam certiſſime ſperabit, laude? Nonne etiam vel trium intelligentium auctoritatem atque teſtimonium pluris faciet centum aliorum plauſu et leuitate? Denique ipſis imperitis magis probabitur popularis noſter orator illo ſubtili, triſti, et erudito. Etſi enim non intelligant artem, et quemuis tali modo dicere poſſe ſibi falſo perſuadeant, ſuauiter tamen afficientur illa elegantia, atque hanc quo minus ſentiant voluptatem, nunquam poterunt impedire. Ipſe autem orator conſolabitur ſe maximorum virorum auctoritate, ſeque ita dicere animaduertet,

Vt ſibi quiuis
Speret idem, ſudet multum fruſtraque laboret
Auſus idem.

Profecto enim difficilior eſt haec popularitas, quam exiſtimet aliquis. Certe multo facilius eſt e Pitiſci non limpidiſſimo fonte riuulum deducere, aut e compendiolo aliquod caput horrida oratione proponere, quam, quid vera eloquentia, quid digna erudito homine elegantia, quid magnitudo cauſſae, quid ingenia et mores auditorum poſtulent, non intelligere ſolum, ſed, ſe intellexiſſe, apta oratione oſtendere. Quid? quod haec natura atque propria popularis orationis indoles eſſe videtur, vt, quemadmodum Cicero

cero de Attico dicendi genere ſcribit, in *orat. c. 23.* talem oratorem qui audiant, quamuis ipſi infantes ſint, tamen illo modo confidant ſe poſſe dicere. *Nam orationis*, pergit, *ſubtilitas*, (nos addamus, et popularitas) *imitabilis illa quidem eſſe videtur exiſtimanti, ſed nihil eſt experienti minus.* Sit igitur non ſolum indicium, ſed etiam ſumma popularitatis laus, vt et lubenter nos omnes audiant, et facillime ſe idem praeſtituros eſſe ſperent. Mirifice, quae adhuc diſputauimus, illuſtrabit locus Quintiliani, quem e *L. IV. c. 2. Inſt. Orat.* adſcribemus. *Sermonis quotidiani*, inquit, vbi de narratione aperta et dilucida exponit, *et in quemcunque etiam indoctiorum cadentis exiſtimant: cum interim, quod tanquam facile contemnunt, neſcias praeſtare minus velint an poſſint. Neque enim aliud in eloquentia cuncta experti, difficilius reperient, quam id, quod ſe dicturos fuiſſe omnes putant, poſtquam audiuerunt.* Scrib. in Acad. Georgia Auguſta. d. XIII. Nou. a. C. cIↃIↃccLXII.

X.

Libellus
de Verecundia Virgilii.

Parum recte tractari a multis veteres ſcriptores.

Cogitanti mihi, cur tam pauci ſint noſtra aetate, qui Graecorum atque Latinorum ſcriptorum lectione delectentur, curque permulti eas litteras contemnant, quae et ab humanitate nomen nactae ſunt, et omni tempore ab elegantiae, venuſtatis et huma-

humanitatis ſtudioſis adamatae et cultae, primaria huius contemtus cauſſa, ſi a ſocordia ignauiaque hominum diſcedamus, ab imperitia et inſcitia multorum, qui ſe harum litterarum magiſtros profiteantur, repetenda eſſe videtur. Nam ſi nemo cum laude aliqua in his litteris tradendis verſari poteſt, niſi qui cum ingenium amoenum, elegans, et pulchritudinis capax a natura nactus ſit, tum illud aſſidua bonorum librorum lectione perpoliuerit, variarumque rerum ſcientia pectus impleuerit, quid miramur, paucos eſſe poetices, critices, eloquentiae, vno verbo, humanitatis litterarum idoneos doctores? Hinc vero quantum detrimenti res noſtra capiat, hoc fonte quot mala proueniant, nemo non intelligit. Contemnunt iuuenes, contemnunt viri, puerilis inſtitutionis moleſtias et ineptias, non ſine horrore et faſtidio, recordantes, veteres ſcriptores: nihil ex eorum libris, praeter verba et formulas, diſci, atque huius eruditionis inani leuitate ſe facile carere poſſe arbitrantur. Quos quidem longe aliter iudicaturos eſſe exiſtimo, ſi didiciſſent olim, fuiſſe illos Graecos et Romanos ſcriptores viros cum nobilitate generis, tum dignitatis ſplendore, et rerum geſtarum magnitudine clariſſimos, eosdemque ſcribendi dicendique magiſtros praeſtantiſſimos eſſe, atque librorum, quos magni illi viri, non aere conducti aut fame compulſi ſcripſerunt, ſed quaſi aurea munera omni poſteritati donauerunt, lectione ingenium acui, poliri, et ſenſim ad eiusdem elegantiae imitationem adduci, comparari doctrinam liberali homine dignam, acquiri illam in ſcriptis, in ſermonibus, in ipſa vita venuſtatem humanitatemque, cuius exempla immortalitati vna cum ſcriptis ſuis illi tradiderunt. Equidem mihi perſuaſi, multo facilius complures homines ad amorem Muſa-

rum allici, quasque de nostrarum litterarum tenuitate imbiberint, opiniones deleri animo posse, si virtutes veterum scriptorum nondum satis explicitas, in clarissima luce collocare studeamus. Tentauimus nuper eiusmodi aliquid in Horatio: proxime tentabimus in Anacreonte. Nunc autem diuina Virgilii carmina examinemus.

Cum vero plurimis maximisque virtutibus carmina Maronis distincta sunt, in quibus sublimitatem, splendorem, grauitatem, elegantiam, nitorem quis non admiratur? tum mihi semper valde placuit verecundia optimi poetae, quam ipse quoque vultus, marmore expressus, in illustri loco expositus, et nuper in *Musei Capitolini Vol. I. tab. II.* delineatus, spirat: iudice viro doctissimo, Io. Bottario. Quod ad ipsam quidem Virgilii vitam attinet, tribuitur quidem illi verecundia, sed ita eandem tribui video, vt contrariis vitiis omnis illa laus tollatur. Donatus in vita poetae haec habet: *Fama est, cum libidinis pronioris in pueros fuisse. Sed boni ita cum pueros amasse putauerunt, vt Socrates Alcibiadem et Plato suos pueros. Verum inter omnes maxime dilexit Cebetem et Alexandrum, quem secunda Bucolicorum ecloga Alexin appellat, donatum sibi ab Asinio Pollione. Vtrumque non ineruditum dimisit: Alexandrum Grammaticum: Cebetem vero et poetam:* (vbi nescio cur I. Fr. Gronouius deleat τὸ *dimisit*, *quasi*, addens, *paedagogus illis fuerit Virgilius. at hi iam docti fuerunt antequam poeta eorum compos fieret.* quasi vero ideo Virgilius paedagogus fuerit, quia illud fecit, quod multi nobiles Romani, et in his ipse Cicero, fecerunt. vid.

Verecundiam tribui Virgilio, sed mire, a Donato et Seruio.

Epist.

Epist. ad Div. VII, 33. et IX, 18.) *Vulgatum est, consueuisse eum cum Plotia Hieria. sed Asconius Pedianus affirmat, ipsam postea maiorem natu narrare solitam, inuitatum quidem a Vario ad communionem sui, verum pertinacissime recusasse. Cetera sane vita et ore et animo tam probum fuisse constat, vt Neapoli Parthenias vulgo appellaretur.* Eadem prope habet Seruius in prooemio comment. in Aen. *Adeo autem verecundissimus fuit, vt ex moribus cognomen acciperet: nam dictus est Parthenias: omni vita probatus. Vno tantum morbo laborabat: nam impatiens libidinis fuit.* At certe dicere debebas, Serui, *aiunt* fuisse. Nam et Donatus posuit, *fama est, vulgatum est*, et tu ipse ad *Ecl. II, 1.* scribis: *nam Virgilius dicitur in pueros habuisse alium amorem. nec enim turpiter eum diligebat.* Et quid hoc est? *omni vita probatum esse* et tamen *impatientem* esse *libidinis*, aut quid illud: *cetera vita et ore et animo probum fuisse* atque vna *libidinis pronioris in pueros.* Nonne alterum altero tollitur? si dixisset aliquis, te doctum esse Grammaticum, sed neque Graecam neque Latinam linguam intelligere, nonne corrugasses frontem, contraxisses supercilium? Iste tamen simillimum tulisset iudicium illius, quod te de Virgilio fecisse videmus. Verum non licet nobis aliquid certi de hac re statuere. Satis sit nobis ostendere, *ore probum* fuisse Virgilium. Et quae res facilius ostendi potest?

Verecundia poetae copiosius exponitur.

Abhorret poeta noster ab omni rerum verborumque obscoenitate: euitat solerter sermonis turpitudinem et fugit: nihil, quo honestas, quo hominis ingenui pudor offendatur, ponit: si quaedam incidunt,

cidunt, quae prolata in lucem diſplicitura eſſe videt verecundo lectori, ea, vt pictor ille Timantes, cum ſummam in vultu patris Iphigeniae mactandae triſtitiam exprimere cuperet, velo contegit, remque ipſam tacitae lectoris cogitationi relinquere, quam eloqui mauult. Recordari ſemper videtur, virgines eſſe Muſas, quibus poeta non debeat ruborem ſua leuitate iniicere. Fruſtra quaeres, quae eſt magna noſtri poetae laus, in illius carminibus ſordida verba, a quibus Catullum non abſtinuiſſe, ſaepe indignatus ſum, fruſtra turpiculas nequitias Ouidii atque Petronii, fruſtra obſcoenitatem, qua Martialis lectoribus ſuis, vel inuitis, ipſe carmina ſua e manibus extorquet, fruſtra liberiores iocos aliorum, qui hac licentia laudem ſibi quaeſiuerunt. Tam candida omnia et venuſta, tam liberalia et digna, cum auribus Augusti, tum auctore ſuo inter politiſſimos homines in aula elegantiſſimi principis verſato. Nihil eſt, quod abeſſe velis, quod nolis a virgine legi, quo pudor laedatur. Quod Dido dicit:

Sed mihi vel tellus optem prius ima dehiſcat,
Vel pater omnipotens adigat me fulmine ad vmbras,
Ante, Pudor, quam te violo, aut tua iura reſoluo:

idem Virgilius ſemper in animo habuiſſe videtur. *Centones Virgil.* Quare equidem optimum poetam exiguam gratiam, ſi viueret, habiturum eſſe arbitror, aut Auſonio, qui, vt praeſtantiſſimi Gesneri verbis vtar, (quibus enim poſſum melioribus?) caſtiſſima hemiſtichia in centone nuptiali aliorſum plane detorſit, et virgines Muſas arcana nuptialis tori, non ſine rubore, coegit Latine admodum et diſerte eloqui, aut Dan. Heinſio, cuius cento Virgilia-

gilianus, quo Domin. Baudium notari audiui, cuiusque initium:

Ille ego, qui quondam gracili modulatus auenae
Pauca meo Gallo, ſed quae legat ipſa Lycoris,
Expediam dictis etc.

ſatis ingenioſus, ſed ſimul ſubturpis, exſtat. Mira enim illi nec indocta nequitia e disiectis membris poetae ea elicuerunt, de quibus bonus Virgilius nunquam cogitauit. Sed prius quam exempla huius verecundiae afferamus, age diſputemus paullo copioſius de hac bonorum ſcriptorum virtute. melius enim intelligentur reliqua.

Stoicorum de turpitudine verborum opinio.

Iam primum conſtat, grauem fuiſſe olim Stoicorum, et, a quibus eiusmodi opinionem facile exſpectes, Cynicorum quorundam de verborum obſcoenitate cum aliis Philoſophis contentionem. Meminimus etiam Petrum Baelium, vt fuit homo ſui iudicii, quaedam de hac re diſputare, quae veremur vt omnibus probauerit. Illi quidem nullam in verbis eſſe turpitudinem, ſed vnamquamque rem ſuo nomine appellandam eſſe putabant. nam, ſi rei eſſet aliqua deformitas, alia quoque appellatione quacunque eundem ſenſum effici arbitrabantur. Senſiſſe ideo ſic Stoicos puto, quoniam in eloquentiae ſtudio non multum operae volebant ſtudiique a ſuis poni. Hinc Seneca *ep. 75.* *Non delectent*, inquit, *verba noſtra, ſed proſint, etc.* adde *ep. 115.* et vid. Gatakerum ad *Antonin. I, 7. p. 9.* Explicuit hanc illorum ſententiam pluribus Cicero in epiſtola illa ad Papirium Paetum, (*IX, 22.*) argumentis ſimul, quibus illam ſtabilire conati ſunt, memoratis. Non lubet nunc ſubtilius de hac re exponere. teneamus tantummodo et reſpon-

respondeamus illis verba siue Ciceronis: *ego seruo et seruabo (sic enim assueui) Platonis verecundiam*, siue, si magis arrideant, Quintiliani: *ego Romani pudoris more contentus, verecundiam silentio vindicabo. Inst. Orat. VIII, 3. 39.* vbi hoc Stoicorum παράδοξον commemorat. Pertinet huc vero inprimis locus Aristotelis, *Rhetor. III, 2. 37.* quem, licet longiusculum, adscribamus. Illustrantur enim illo mirifice, quae diximus. Κάλλος δὲ ὀνόματος. τὸ μὲν, ὥσπερ Λυκίμνιος λέγει, ἐν τοῖς ψόφοις, ἢ τῷ σημαινομένῳ. καὶ αἶσχος δὲ ὡσαύτως. Ἔτι δὲ τρίτον, ὃ λύει τὸν σοφιστικὸν λόγον. οὐ γὰρ, ὡς ἔφη Βρύσων, οὐδένα αἰσχρολογεῖν, εἴπερ τὸ αὐτὸ σημαίνει τόδε, ἀντὶ τοῦ τόδε εἰπεῖν. Τοῦτο γάρ ἐστι ψεῦδος. ἔστι γὰρ ἄλλο ἄλλου κυριώτερον, καὶ ὁμοιωμένον μᾶλλον, καὶ οἰκειότερον τῷ ποιεῖν τὸ πρᾶγμα πρὸ ὀμμάτων. Ἔτι οὐχ ὁμοίως ἔχον σημαίνει τόδε καὶ τόδε, ὥς τε καὶ οὕτως ἄλλο ἄλλου κάλλιον καὶ αἴσχιον θετέον. Ἄμφω μὲν γὰρ, τὸ καλὸν καὶ τὸ αἰσχρὸν σημαίνουσιν, ἀλλ' οὐχ ᾗ καλὸν ἢ οὐχ ᾗ αἰσχρὸν, ἢ ταῦτα μὲν ἀλλὰ μᾶλλον καὶ ἧττον. Τὰς δὲ μεταφορὰς ἐντεῦθεν οἰστέον ἀπὸ καλῶν, ἢ τῇ φωνῇ, ἢ τῇ δυνάμει, ἢ τῇ ὄψει, ἢ ἄλλῃ τινὶ αἰσθήσει. Caeterum istam Stoicorum opinionem permulti improbauerunt atque refutauerunt. vid. Conr. Rittershusius ad *Oppian. Halieut. I, 127.* Petr. Petitus in *Miscell. Obseru. L. III. c. 2.* vbi de κακοφάτοις in sacro codice agit, Io. Lud. Balzacius in *epist. select. 28. et 19. ed. Lips.* Arnaldus in epistola ad Peraltum: (in *opp. Boilauii ed. Hag. a. 1722. T. IV. p. 68.*) et Io. Guil. Bergerus in Phidiaco opere *de naturali pulchritudine orat. p. 264. seq.* Atque etiam, si accuratius rem considero, homines quasi consensisse inter se et firme statuisse videntur, vnam candemque rem certis verbis expres-

sam

ſam laedere pudorem, eandemque aliis enunciatam aequis auribus audiri et ſalua verecundia. Immo etſi neque verba, vbi partes ſuas agunt, resque, quarum propria ſigna ſunt, indicant, deformia fiant, neque rebus, a natura procreatis, aliqua turpitudo tribui poſſit: nulla tamen natio eſt, niſi illa ab humano cultu omnino ad feritatem deflexerit, quae honeſtum exiſtimet, quae dignum hominis ingenui pudore, rem, quam verecundius poſſis explicare, ſuo appellare nomine. Tali quoque dicendi genere videmus ſummos viros delectatos fuiſſe, atque hanc rationem elegantiſſimos quosque ſcriptores adamaſſe, quae tamen inprimis poetas decet. Praeſtantiſſimum donum deorum eſt poetice, nosque illam quaſi abiectam et modo e fornice prodeuntem meretriculam ea loqui iubeamus, quae liberales aures, non dicam religioſae, reſpuant? Quanta enim ſtultitia eſt, ea de ſe commemorare facinora, quae ſi quisquam alius a nobis patrata eſſe diceret, coelum commoueremus et terram, iniuriamque nobis fieri clamaremus, non tolerandam, graui poena expiandam, maculamque omni modo delendam noſtrae famae inuri? Huius tamen bonae famae cur ipſi negligentes ſumus? Pulcherrime hunc locum tractauit Boilauius in *Arte*, cuius verſus infra ſcripſimus. (*) Neque occinat hic nobis

Poetas inprimis decere pudorem.

(*) *Que votre ame & vos moeurs peintes dans vos ouvrages*
N' offrent jamais de vous, que de nobles images.
Je ne puis eſtimer ces dangereux auteurs,
Qui de l' honneur en vers infames deſerteurs
Trahiſſant la vertu ſur un papier coupable
Aux yeux de leurs lecteurs rendent le vice aimable.

Un

nobis aliquis carmen illud, quo se iſta leuicula cohors, quaſi Achilleo quodam clypeo, tegit:

Plinii opinio non probatur.

Nam caſtum eſſe decet pium poetam
Ipſum, verſiculos nihil neceſſe eſt:
Qui tunc denique habent ſalem et leporem,
Si ſunt molliculi et parum pudici.

quamque legem Plinius, conſularis vir, *veriſſimam* dicit, *L. IV. ep. 14.* nimium hac leuitate ſibi placens et plaudens. vid. *L. IV. ep. 27. V, 3. VII, 4.* Illis certe Plinianis: *nam ſi hoc opuſculum noſtrum aut potiſſimum eſſet, aut ſolum, fortaſſe poſſet durum videri dicere:* quaere quod agas, *molle et humanum eſt:* habes quod agas: quid poſſumus aut elegantius, aut verius reſpondere, quam illa Gesneri: *Contra, Plinio poteſt dici: habes orationes, in quibus decus iam aliquod conſecutus es: in his porro elabora et ſpera plauſum eruditum: quid tibi vis cum verſiculis, quibus facilius partam gloriam effundes, quam nouam parias?* Neque vero nimis in hac parte moroſi et difficiles videri volumus. Nolim, omnes bella ſcribant aut heroas canant: neque poterunt omnes de natura rerum exponere. Sunt, quibus molle et facetum carmen Muſae annuerunt. Dandum etiam aliquid puto aetati: remitti volo animum relaxarique a grauio-

Concedenda videtur aliqua libertas.

Un auteur vertueux dans ſes vers innocens
Ne corrompt point le coeur en chatouillant les ſens.
Son feu n' allume point de criminelle flame,
Aimez donc la vertu, nourriſſez en votre ame.
En vain l' eſprit eſt plein d'une noble vigeur
Le vers ſe ſent toujours des baſſeſſes du coeur.

uioribus negotiis, et acerbiorem dicerem, quicunque iucunde otium oblectari nollet. Addam etiam illud: poliri huiusmodi carminum genere ingenium: nutriri non parum eloquentiam: mores vrbanitatem et elegantiam quandam contrahere: ſuauiores nos reddi atque iucundiores in congreſſu ciuili et conſuetudine. Verum idem multum diſtare exiſtimo iocorum vrbanitatem et elegantiam leporum ab effrena obſcoenae linguae libertate et loquacitate turpi. Teneatur modus aliquis, vt in omni vita, ita in hoc ſcriptorum genere valde vtilis et neceſſarius: abſit omnis verborum et ſententiarum turpitudo; remoueantur omnia atque ſolerter euitentur, quibus pietas laedatur, quae humanitati vim inferant. Quidni ego Anacreontis, Heliodori, Charitonis, Alciphronis, Ariſtaeneti, dulcedine delecter? quidni etiam alios horum lectione iucunde affici concedam? Ne tamen mihi ideo etiam laudet aliquis impura ſcripta Achillis Tatii, Petronii, horumque nimis ſaepe ſimilium, ſiue Ioannis Secundi, ſiue Marulli, aliorumque, belliſſimorum, ſi ingenium ſolum ſpecto, hominum. Quorum ſi ingenia et ſcripta conſideramus, profecto idem faciamus neceſſe eſt votum, quod amatores facere ex iis diſcimus: Vtinam aut minus formoſi eſſent, aut pudici magis. Tum enim et minus eorum venuſtas delectaret caperetque lectores, nec bonis moribus ab eorum lectione timendum foret.

Si autem ſeuerius agere velimus, cuius animum vehementius excruciari credibile eſt, quam ſcriptoris, qui, quae animi turpis documenta poſteritati relicturus ſit, conſideret, qui, aut graui morbo correptus, aut morti proximus, infelices ingenii ſui partus

Campani Palinodia. tus respiciat? Non iniucundum forte erit, duo, quae mihi haec scribenti in mentem veniunt, exempla cognoscere. Nemini facile ignotum erit nomen Io. Antonii Campani, poetae non seuerissimi quidem, sed tamen viri illa aetate doctissimi. Hic ad Cardinalem Papiensem scribit: *Sed, mi Papiensis, castigans castigauit me Dominus et morti non tradidit me. Videbis Campanum tuum praelatum, quem olim poetam perspexisti, ac plane te adhortor ad aliter viuendum. Tu me et ego te intus et in cute nouimus. Ventus et somnium sumus et spuma aestuans vanitate atque libidine.* Hem! quantum mutatus hic Campanus ab illo Campano, qui paullo ante plenus iocorum et facetiarum quiduis potius suo Papiensi narrabat, quam seuera de sanctitate vitae praecepta. Compara, si otium est, longam et pietatis plenam epistolam ad eundem scriptam. *L. I. V.* Magis fortasse inexspectata multis videbitur oratio suauis Gallorum poetae, Fontanii, qui paullo ante mortem saepius dixisse fertur: si Deum oraret, vt ad dies aliquot sibi vitam produceret, hoc ideo fieri, vt veheretur rheda per vias Parisinas, omnibusque declararet, quantum versus, quos composuisset, lasciuos detestaretur. vid. annotationes ad *opp. Boilau. T. IV. p. 117.* Nonne vero satius est prouidere, ne eiusmodi votum nobis faciendum sit? Contra quam placide, qua serenitate frontis exspirauit magnus Addisonius, qui iam praeuidebat animo virtutis praemia, cuius per totam vitam praeco fuerat. Hic enim, auctore diuino Youngio (*) diu, sed ita, vt virum decet, cum morbo luctatus dimisit medicos, vnaque cum his spem

Fontanii votum.

Mors Addisoni.

(*) *Conjectures on original Composition.*

ſpem longioris vitae. Mox iuuenem neceſſitudine ſecum coniunctum arceſſi iubet. Venire hic, et quoniam Addiſonii mens fere oppreſſa videbatur, tacere primum: deinde, aduocaſti me, dicere, credo te mihi aliquid mandaturum eſſe. ſumma cura atque religione mandata tua exequar. Tunc apprehendere Addiſonius iuuenis manum, premere illam, et morientibus vocibus addere: Vide, quam tranquillo animo homo Chriſtianus mori poſſit. Paullo poſt Deo animam reddidit. Quis haec legit, quin incendatur eiusdem felicitatis cupiditate? Quis autem non commoueatur animo et fere contremiſcat, ſi aut Mathurinum Regnierium, vita libidinoſe acta, graui morbo correptum, quo ſe periturum eſſe putauit, improbo riſu miratum fuiſſe legat, cur mors, de qua nunquam cogitaſſet, de ſe cogitaret, (infra ſcripti ſunt verſiculi Gallici (*), aut Io. Bapt. Willart de Grecourt moribundum nihil magis doluiſſe audiat, quam quod vita, quam omnibus voluptatibus affluentem egiſſet, non longius frui poſſet. Sed ſeueriorem hanc diſputationem fore videmus, quam et nobis propoſitum fuit, et ipſi putauimus. Quare ablegabimus lectorem ad *Noctes* Eduardi Youngii, qui in *Noct. V. princ.* pulcherrimis verſibus decus poetices vindicauit. Nos quaſi e diuerticulo in viam redeamus, atque verecundiae Virgilianae indolem copioſius paullo explicemus.

Regnierii et Grecurtii leuitas.

Con-

(*) *J' ai vecu ſans nul penſement*
Me laiſſant aller doucement
A la bonne loi naturelle,
Et je m' etonne fort, pourquoi
La mort oſa ſonger a moi,
Qui ne ſongeai jamais à elle.

Verecundia Virg. triplex. Considerata vero accuratius hac re, triplici ratione verecundiam poetae Latini spectari existimo. Nam et in argumento carminum eligendo cauebit diligenter, ne aut fingat ipse, aut ab aliis ficta repetat, quae obscoena sint: et, si occurrant quaedam, quibus nudis verbis expressis, honestae aures offendantur, verecundiae lectorum consulet: et vitabit, quod veteres dicebant *κακόφατον*, aut, vt Stephanus mauult *κακέμφατον*, vitium.

κακόφατον. Nos vero faciamus *ὕστερον πρότερον*, et de eo, quod vltimo loco posuimus, verecundiae genere pauca dicamus. nam pluribus exponere rem non opus est, fortasse neque iucundum omnibus. *Locus Quintiliani.* Est locus de hac re classicus apud Quintilianum, *Instit. Orat. VIII, 3.* quo allato totam disputationem nos satis explicituros esse putamus. *Quoniam*, inquit, *prius vitia demonstrare aggressi sumus, vel hoc vitium sit, quod κακόφατον vocatur, siue mala consuetudine in obscoenum intellectum sermo detortus est, vt* ductare exercitus *et* patrare bellum, *apud Sallustium dicta sancte et religiose, ridentur a nobis, si diis placet: quam culpam non scribentium quidem iudico, sed legentium: tamen vitanda, quatenus verba honesta moribus perdidimus et euincentibus etiam vitiis cedendum est: siue iunctura deformiter sonat, vt, si* cum hominibus notis loqui *nos dicimus, nisi hoc ipsum* hominibus *medium sit, in praefanda videmur incidere, quia vltima prioris syllabae litera, quae exprimi, nisi labris coeuntibus non potest, aut intersistere nos indecentissime cogit, aut continuata cum insequente, in naturam eius corrumpitur. Aliae*

con-

coniunctiones aliquid simile faciunt, quas persequi longum est, in eo vitio, quod vitandum dicimus, commorantes. Sed diuisio *quoque affert eandem iniuriam pudori, vt, si* intercapedinis *nominatiuo casu quis vtatur. Nec scripto modo id accidit, sed etiam sensu plerique obscoene intelligere, nisi caueris, cupiunt: vt apud Ouidium:*

Quaeque latent, meliora putat:

ac ex verbis, quae longissime ab obscoenitate absunt, occasionem turpitudinis rapere. Siquidem Celsus cacophaton apud Virgilium putat:

Incipiunt agitata tumescere,

quod si recipias, nihil loqui tutum est. Tantum fuit in Romanis verecundiae studium! tam diligenter castis auribus pepercerunt! vide quae de hac in componendis verbis sollicitudine Cicero in *orat. c. 45. 154.* Manutius ad modo laudatam Ciceronis epistolam, Gesnerus ad Quintil. *h. l.* et, ab hoc iam excitatus, Io. Frid. Christius in *Noct. Acad. obs. IX. p. 112.* disputauerunt. Nos, quoniam et vix certi quidquam de illa dici posse existimamus, cum, quomodo veteres pronunciauerint verba, ignoremus, et ne minutiarum captandarum speciem praebeamus, nolumus quidquam addere. Videamus potius, quomodo in reliquis partibus verecundiae Virgilius versetur.

Alterum verecundiae genus.

Dicimus, verecundum esse poetam, qui ab omni obscoenitate, quae et per totum carmen fusa est, et in singulis partibus apparet, abhorreat. Iam quid potest verecundius Virgilii carminibus cogitari? quid grauius illa diuina Aeneide, quae plena magnarum sententiarum, summaque arte composita, praestantissimum erit, dum litterae vigebunt, humani ingenii opus? quid

quid caſtius Georgicis? quid elegantius Bucolicis? Atque de illis quidem non opus eſt multa dicere: de his quaedam monenda eſſe puto. Hanc neceſſitatem mihi imponit inprimis Seruius, qui, allegoricae interpretationis ope, ea aliquoties vidit et inuenit, quae nullus alius. Magnam certe verecundiae Virgilii vim intulit interpretatione *Eccl. II.*

Virg. defenditur et explicatur.

Formoſum paſtor Corydon ardebat Alexin.

Nam per Corydonem Virgilium, per Alexin Caeſarem, aut puerum etiam Caeſaris, intelligendum eſſe dicit. Nonne vero multo facilius et ſimplicius eſt, ſi Virgilium paſtoris alicuius amorem deſcribere voluiſſe dicamus? Atque etiam bene Ramus, notante Burmanno, communem adfectum ſine tropo, fictis nominibus, a poeta cantari exiſtimat. Cui ſi aſſentiamur, vt par eſt, nihil eſt in tota ecloga, quod quenquam poſſit offendere. In eiusdem Eclogae interpretatione diſſentio a Petro Burmanno, qui ad illa: *delicias domini*, haec notat: „delicias vocat, vt „Solinus cap. XLII. Hylam delicias Herculis et An„tinous Hieronymo ad ann. MCXLV. Hadriano in „deliciis fuiſſe dicitur: tales delicati et deliciae dicti. „vid. ad Sueton. Aug. 83. et Veſp. 33.„ Editio quidem Suetonii mihi haec ſcribenti non ad manum eſt. Sed memini Heinſium et Burmannum copioſe de hoc verbi ſenſu diſputare ad *Petron. c. 63. p. 415. ed. Reisk.* Quid autem opus eſt turpem interpretationem fingere? Quidni honeſtam verbo vim tribuamus? Alexin fuiſſe percharum domino, fuiſſe illi in deliciis, in amoribus etc. Porro eadem in ecloga *v. 35.*

Haec eadem vt ſciret, quid non faciebat Amyntas?

interpretatur Seruius: *quemadmodum mihi non obſequebatur?* Primum Burmannus hic reprehendit *negli-*

gligentiam Maſuicii, *qui ſcire debuerat*, obſequi et obſequium *de turpibus et venereis rebus dici.* Deinde ſatis belle addit: *facere eſſe nequitiae verbum, nulli non humaniori poteſt eſſe notum.* Humanitatem quidem hanc, quibus volupe eſt, diſcere poterunt ex notis illius ad *Ouid. Rem. 416.* et ad *Petron. c. 9. p. 54.* Erhardique ad eundem *c. 87. p. 549.* Obiter notabimus, eandem eſſe rationem verbi Graeci: *ῥέξαι.* Nam apud Homerum *Il. I.* *ῥέξαι.* *435.* vbi Phoenix narrat, ſe matris ſuaſu cum pellice patris concubuiſſe, addit: *τῇ πιθόμην καὶ ἔρεξα.* Erudite ibi notat Euſtathius: *σεμνῶς δὲ ἡ τοιαύτη ἔννοια εἴρηται. ῥέξαι γὰρ ὁ Φοῖνιξ λέγει τὸ μιγῆναι τῇ παλλακῇ, εὐφημῶν καὶ φειδόμενος ὀλιγάκις λέγειν κακά.* et allato ſimili Alciphronis loco ſubiicit: *καὶ ἐν ἀμφοῖν σεμνότητος περιπετάσματι τὸ τοῦ πράγματος δυσπρόσοπτον συγκαλύπτεται.* vid. omnino Steph. Berglerum ad *Alciphron. p. 413.* Sed inuito, opinor, Virgilio, ſenſus hic ex illo loco elicitur. Poeta nihil aliud dicere voluit, quam: quantum laborauit, quantum ſtuduit, quantum me orauit etc. Pergamus. v. 51.

Ipſa ego cana legam tenera lanugine mala,
Caſtaneasque nuces, mea quas Amaryllis amabat.

En acumen Seruii! *Mala dicit Cydonea: ſed non praeter obliquitatem. — et verecunde rem inhoneſtam ſupprimit.* Tantos lepores in pallium et barbam ſeueri Grammatici cadere, quis non miretur? ſed addamus ſimilem locum: *Ecl. III, 64.*

Malo me Galatea petit, laſciua puella etc.

Taubmannus, eiusmodi iocorum forte nimium amans, in *diſſert. de lingua latina p. 74.* aliquid obſcoeni vtroque loco latere putat. Quid innuat, nolo diſerte explicare. Hoc dico: ſi vera eſſet Taub-

manni ſententia, et periret omnis venuſtas, quae in hoc verſu eſt, et in illo ſimplicitati paſtorum et elegantiae Virgilii multum detraheretur. Quid multa?

Mala Veneri ſacra.

in tutela Veneris mala ſunt: ſaepe occurrit mos mala vel integra vel praeroſa in gremium puellae iactandi aut eidem dono mittendi: ipſa Venus fingitur plerumque manu tenens malum: Cupidines in gemmis ſe pomis inuicem petunt et laceſſunt. vid. Steph. Pighium in *mythologia εἰς τὰς ὥρας* p. 172. Iac. Tollium in *Animaduerſ. Critic. ad Longin. p. 352. et 53.* Laur. Begerum in *Contemplat. Gemmar. Dactylioth. Gorlaei*, *p. 6.* et in *Theſauro Brandenburg. T. III. p. 728.* Adde elegantem locum Ariſtaeneti *L. I. p. 25.* *πάμφιλος δὲ μήλου μικρὸν ἀποδακὼν, εὐςόχως ἠκόντισεν εἰς τὸν κόλπον ἐκείνης. ἡ δὲ φιλήσασα μεταξὺ τῶν μαςῶν ὑπὸ τῷ περιδέσμῳ, ὃν περιεστερνίσατο, παρέβυσε.* vbi Mercerus ſimilem Luciani locum affert. Duo addamus ex eadem ecloga, *v. 7.*

Parcius iſta viris *tamen obiicienda memento,*
Nouimus et qui te, transuerſa tuentibus hircis,
Et quo, ſed faciles *Nymphae riſere, ſacello.*

In eadem ſententia, quam Taubmannum defendiſſe diximus, fuit etiam Dom. Baudius, cuius non piget verſiculos adſcribere, depromtos e carmine, quo Petrum Scriuerium ad Martialem edendum hortatur, (in *Iambicor. L. III. p. 130.*) deque illorum inepta ſuperſtitione queritur, qui veterum poetarum carmina mutilata edant.

Quid virginalis ille quem fecit pudor
Vt Virgo ſit vocatus, ecquid impios
Vitabit vngues? haud opinor, ſi ſuum
Seruare morem ſcaeua pertendat cohors.

An non Alexis, cura corque heri, iecur
Corydonis vrit igne deteſtabili?
Salax puella pomo amatorem petens
Fugit ad ſalicta, ſed videri ſe cupit:
Nonne et magorum carmen, vnde amens amor
Creatur idem ponit ante oculos liber?

ſed haec aliaque a Baudio dicta eſſe, nemo mirabitur, qui, quo vitae genere ipſe delectatus fuerit, quantumque indulſerit ſibi, audiuerit. Quare non multum haec moramur. *Viros* putat Burmannus opponi turpi libidine infamibus et pollutis: *faciles* vero per facilitatem explicat, qua ſe aliis praebeant. Neutrum neceſſarium eſt. Noui dici ita *viros*, atque inprimis hoc firmant illa Ciceronis: in *Verr. V. 31. Hic — ſic vixit, vt quotidie muliebria conuiuia eſſent, vir accumberet nemo praeter ipſum, et praetextatum filium. Tametſi recte ſine exceptione dixeram*, virum, *cum iſti eſſent, neminem fuiſſe*, et L. *II. 78. Homo inertior, ignauior, magis vir inter mulieres, impura inter viros muliercula proferri non poteſt.* Illud etiam addo, *ſcorta* dici viros, qui muliebria patiantur. vid. Duckerum ad *Flor. II, 18, 10.* et Burmann. ad *Quintil. Declam. III, 3.* et, qui verba ἀνδρόγυνοι, ἀνδροθήλεις, illuſtrat, Gatakerum ad *Antonin. III, 16. p. 118. et IV, 3. p. 129.* Verum ſi *vir* et *homo* ſaepe ponuntur pro iis, de quibus ſermo eſt, (vid. Gottl. Cortium ad *Salluſt. C. B. XLVIII, 5. et B. I. IX. 3.* vt apud Graecos ἀνὴρ ſaepe eſt *ille.* v. Doruillium ad *Chariton. p. 234.*) quidni locum ſic interpretemur: noli haec nobis obiicere? *Faciles* vero dici deos ob clementiam ſaepiſſime a poetis, quis ignorat? Certe ſic centies Ouidius, vt *Epiſt. XII, 84. Sed mihi tam faciles vnde meosque deos: Amor. II, 14. 43. Di faciles peccaſſe ſemel concedite tuto. Met.*

 IX,

IX, 755. Dique mihi faciles, quicquid valuere, dederunt. Si etiam dixeris, pastores turpe facinus (quamuis fere malim locum aliter explicare) in sacello commisisse, quomodo illum aptius interpretaberis, quam: clementes deas non ideo illos puniuisse? Non debemus profecto ita in interpretatione antiquorum poetarum versari. Quid tam caste et eleganter ab iis dictum est, quod non possit tali modo detorqueri? Iam in mentem venit locus Lucani, IV, 363.

Dixerat: at Caesar facilis vultuque serenus
Flectitur.

Quid? si aliquis diceret, *facilis* habere hoc loco eundem sensum, quem Burmannus tribuit Virgiliano loco? nam Caesarem omnium virorum foeminam, omniumque foeminarum virum fuisse appellatum. nonne hunc interpretem irrideremus? Quare et nostri pudoris et lectorum et ipsius auctoris rationem habeamus. Verum haec hactenus. Examinemus nunc quartum Aeneidos librum pulcherrimum procul dubio et venustissimum. Quod prius quam faciamus, adscribamus, qui nostrae sententiae obstare videtur, locum Ouidii ex *Trist. II, 533.*

Ouidius accusat Virg.

Et tamen ille, tuae felix Aeneidos auctor,
Contulit in Tyrios arma virumque toros.
Nec legitur pars vlla magis de corpore toto,
Quam non legitimo foedere iunctus amor.
Phyllidis hic idem, tenerosque Amaryllidis ignes
Bucolicis iuuenis luserat ante modis.

Non cogitasse videtur Ouidius, magnum esse discrimen inter Virgilii lepores facetiasque, atque sua:

Aestus erat, mediamque dies exegerat horam &c.

et

et alia. Quod vero nullum librum magis legi dicit, ſaepiusque illo, qui Didonis amorem et mortem habet, non errat. Summam enim artem poeta adhibuit, omnibus humani animi motibus cognitis et explicatis: ita amantem primum, mox vero ſumma deſperatione affectam Didonem depinxit, vt nihil praeſtantius poſſit cogitari: nemo erit, quin, niſi illacrimet, vt olim, ni fallor, Auguſtinus, morti reginae, certe valde commoueatur triſtiſſimis illius fatis. Exponemus igitur de arte poetae paullo copioſius.

L. IV. Aen. examinatur.

Accenſa fuit Aeneae amore Dido. *Vritur infelix Dido.* Iam hic opus erat arte. quomodo enim poeta hunc amorem lectoribus narrare debebat? an diſerte omnia commemorare? an Didonem Aeneae amore captam claris coloribus pingere? Non deceret talis pictura heroici carminis maieſtatem: non deceret verecundam Virgilii Muſam. Quid igitur faceret? Hic obſeruanda erant, quae, licet in re diuerſa, praecipit Horatius:

Non tamen intus
Digna geri promes in ſcenam: multaque tolles
Ex oculis.

Totam igitur rem ita deſcripſit, vt remoueret quidem ab oculis lectorum, quae indigna luce iudicauit, ſed ita tamen remoueret, vt nihil abeſſet, quod aegre deſiderare lectores poſſent, nulla obſcuritas inde oriretur, quiuis lectorum hac arte delectaretur. Primum quam belle amorem Didonis exponit!

At regina graui iam dudum ſaucia cura,
Vulnus alit venis et caeco carpitur igne,

et paullo poſt:

Interea tacitum viuit ſub pectore vulnus,

fere vt apud Theocritum eſt. Id. XI, 15.

ἔχθιστον ἔχων ὑποκάρδιον ἕλκος
Κύπριος ἐκ μεγάλας, τὸ οἱ ἥπατι πῆξε βέλεμνον.

Mirifice autem pingit affectus amoris: Didonem ſemper de Aenea cogitare: huius verba, huius vultus haerere infixos pectore: nec ſomnum quidem illam capere poſſe. Nam quod illum abſentem abſens audit et videt, quod ſorori, nouum hoſpitem ſibi placere, fatetur, quod illius pulchritudinem et fortitudinem laudat, quod denique, poſteaquam, ſe poſt mortem Sigei nemini nubere velle, dixit, ſinum lacrimis implet, nonne haec omnia Didonem amore incenſam eſſe oſtendunt? Quam autem verecunde haec omnia dicta ſunt! quam diligenter verborum omnis libertas euitata eſt! Porro magna arte Iunonem fingit hac occaſione velle vti, Italia abſtrahendi retinendique Troianos, ideoque fraudes machinari et Veneri conſilium ſuum exponere. Venatum, ait, ibunt in nemus:

His ego nigrantem commixta grandine nimbum,
Dum trepidant alae, ſaltusque indagine cingunt,
Deſuper infundam, et tonitru coelum omne ciebo.
Diffugient comites, et nocte tegentur opaca:
Speluncam Dido dux et Troianus eandem
Deuenient. Adero, et, tua ſi mihi certa voluntas,
Connubio iungam ſtabili propriamque dicabo.
Hic Hymenaeus erit.

Vide, quam tecte omnia narrentur, immo indicentur potius, quam commemorentur. Nullum verbum poſitum eſt humile: nulla adeſt imago ſordida, quamque nolis ab eleganti homine adſpici. Intelligitur tamen facile, quid Iuno innuat, quidque ſe facturam eſſe praedicat. Quid tum? Exeunt Aeneas et Dido: venantur:

Inter-

Interea magno miſceri murmure coelum
Incipit. Inſequitur commixta grandine nimbus,
Et Tyrii comites paſſim et Troiana iuuentus,
Dardaniusque nepos Veneris, diuerſa per agros
Tecta metu petiere. Ruunt de montibus amnes.
Speluncam Dido dux et Troianus eandem
Deueniunt. Prima et Tellus et pronuba Iuno
Dant ſignum: fulſere ignes, et conſcius aether
Connubiis: ſummoque vlularunt vertice Nymphae.
Ille dies primus leti, primusque malorum
Cauſſa fuit.

Hic locus pulchritudinem picturae demum perficit. Quam venuſta inprimis illa ſunt: vlulaſſe Nymphas, et hunc diem omnium, quae poſt acciderint, malorum fuiſſe cauſam. Haec duo enim dum poeta addit, vt lectores, quid acciderit in antro, non difficili coniectura aſſequantur, efficit. Simul vero ſe apte moleſta ſibi lectoribusque neceſſitate clarius haec narrandi liberauit. Non male Seruius ad verbum *deueniunt* notauit: *bene ſupprimit rem putendam. ſic Terentius Eun. III, 56. Quid tum? fatue. fateor.* Venuſtatem etiam huius loci eleganter explicuit ſuauiſſimus ille Muſarum alumnus et feliciſſimus Virgilii imitator Hier. Vida in *L. II.* aureolae *Artis poeticae.* Quos verſus ſi huc transtulerimus, rem non ingratam veterum elegantiarum ſtudioſis nos facturos eſſe arbitramur.

Poſtremo tibi ſi qua inſtant dicenda, ruborem
Quae tenerum iniicerent Muſis adaperta chorisque
Virgineis, molli vel praeterlabere tactu
Diſſimulans, vel verte alio et rem ſuffice fictam.
Si pater omnipotens tonitru coelum omne ciebit,
Speluncam Dido dux et Troianus eandem

Deueniant, pudor vlterius nil addere curet.
Nam ſat erit, tellus quod prima et conſcius aether
Connubii dent ſignum, vlulentque in vertice Nym-
phae.

Hic quoque difficilius eſſe intelligo, comparare Homeri atque Virgilii carmina inter ſe et conferre, quam vulgo putant. Nonne enim hac parte Romanus poeta Graecum longe ſuperaſſe facile alicui videri poteſt? haerebunt fortaſſe quidam, vbi patrem poetarum diſertiorem fuiſſe intellexerint, quam par fuiſſe videatur. Nam ſi delati fuerint ad eum locum in *Il.* Γ. vbi, poſteaquam Paris Helenam allocutus erat: *v. 441.*

Ἀλλ᾽ ἄγε δὴ φιλότητι τραπείομεν εὐνηθέντε,
Οὐ γάρ πώποτέ μ᾽ ὧδε ἔρως φρένας ἀμφεκάλυ-
ψεν —
Ὥς σέο νῦν ἔραμαι, καί με γλυκὺς ἵμερος αἱρεῖ.

tum poeta *v. 447.* addit:

Ἦ ῥα καὶ ἄρχε λέχοσδε κιών, ἅμα δ᾽ εἵπετ᾽ ἄκοιτις,
Τὼ μὲν ἄρ᾽ ἐν τρητοῖσι κατεύνασθεν λεχέεσσιν.

quid opus fuit, dicent, tot verbis haec commemorare? Atque etiam fateor ipſe, mihi non omnino probari hunc locum, quem reliquae epici carminis maieſtati detrahere puto. Sed eidem cenſores, quibus hic, licet inuiti, ſed veritatis tamen amore ducti, cedimus, ſi de alio loco in *Il.* Ξ *346.* vbi primum Iupiter ſat longa oratione Iunoni ardorem amoris exponit, mox vero

Ἦ ῥα καὶ ἀγκὰς ἔμαρπτε Κρόνου παῖς ἣν παρά-
κοιτιν —
Ὣς ὁ μὲν ἀτρέμας εὗδε πατὴρ ἀνὰ Γαργάρῳ ἄκρῳ,
Ὕπνῳ καὶ φιλότητι δαμείς· ἔχε δ᾽ ἀγκὰς ἄκοιτιν.

ſi

ſi igitur de hoc loco eandem ſententiam dixerint, et, bene profecto pater deorum ſibi vxorique conſulit, dum nubem obducit: cur vero poeta non Iouem imitatur? cur ante oculos rem ponit? addiderint, me non aſſientientem habebunt. Admirabili enim cura omnes dicendi formulas poeta elegit, omnia verba poſuit, quibus tota res elegantiſſime narrari poſſet, vt alio tempore copioſius oſtendam. Praeterea cogitanda eſt temporum antiquiſſimorum ſimplicitas, quae vel diſertiorem amoris narrationem admiſit, cogitandumque omnino diuerſum linguarum ingenium. Quis neſcit, ſacros ſcriptores turpiſſimos amores plene, viuide et propriis verbis deſcribere, atque, inprimis in vana idolorum religione accuſanda, liberas a re venerea ſimilitudines petere: quam rem exemplis oſtendit ſat multis, huiusque libertatis cauſas indagat Vir. cel. Io. Dau. Michaelis in notis ad Rob. Lowth *de ſacra poeſi Hebraeorum Prael. VIII. p. 135. ſequ.* Neque tamen deſunt verſus multo cautius verecundiusque ab Homero elaborati: attigitque, quae liberius dicta diſplicerent, tantum poeta in aliis locis, vt *Il. I, 133.*

Μήποτε τῆς εὐνῆς ἐπιβήμεναι, ἠδὲ μιγῆναι,
Ἣ θέμις ἀνθρώπων πέλει ἀνδρῶν ἠδὲ γυναικῶν.

vbi Scholiaſtes Victor. ſcribit: *θαυμασίως τὴν αἰσχρὰν λέξιν ἐκάλυψε· τὰ τῆς συμπλοκῆς ταπεινὰ καὶ ἀνθρώπινα τιμιωτάταις προσηγορίαις ἐπισκιάζων.* vid. etiam Hermogenem de *Form. Orat. L. II. p. 233. ed. Sturm.* et de illa formula φιλότητι μιγῆναι Graeuium in *Lection. Heſiod. c. 23. p. 119.* Sed de hac Homeri verecundia prodibit proxime eruditus libellus amici noſtri, Clar. Theoph. Chriſtoph. Harleſii. Nolumus igitur quidquam addere, niſi duo loca Ariſtaeneti, quae aliquam

 ſimi-

ſimilitudinem habent cum Virgiliana amoris deſcriptione. Sic enim ille *L. I. ep. XVI.*

Ariſtaeneti loca.

Τὰ δ' ἄλλα, οἶδας γὰρ ὁποῖα τὰ λοιπὰ, νόει μοι κατὰ σαυτὸν, ὦ Φιλότης, οὐδὲν περιττοῦ δεόμενος λόγου. Λέξωμεν τοι τοσοῦτον. ὡς πρὸς ἀλλήλους ἐφιλονεικοῦμεν δι' ὅλης τῆς νυκτὸς ἁμιλλώμενοι, τίς φανεῖται θατέρου μᾶλλον ἐρῶν. et adde ex eodem *L. II. ep. 3.* quae ſcribit vxor cauſſidici: κἂν ἐπιμείνῃ, πρὸς μὲν ἀλλότρια πράγματα κεχηνὼς, μόνης δὲ τῆς κοινῆς ὑποθέσεως ἀμελῶν, ἕτερος ῥήτωρ τῆς ἐμῆς ἐπιμελήσεται δίκης. ἆρα κατάδηλον, ὃ βούλομαι λέγειν; πάντως δήπου ἐπεὶ ταῦτα γράφω συντόμως ἐκ τούτων συνιέναι καὶ τὰ λείποντα δυναμένη. Quis non venuſtiſſimi ſcriptoris elegantiam intelligit? Poſſemus hic, ſi luberet, diuinos magni Miltoni verſus e L. IV. et VIII. adſcribere, quibus purum et caſtum coniugalem amorem Adami Euaeque narrat, ita, vt haec narratio proxime accedat ad beatorum tum illorum hominum innocentiam et ſanctitatem, quorumque amor religioſa pietate exponendus erat. Sed volumus eos a quoque lectorum noſtrorum legi: quos putamus facile intellecturos eſſe, quam apte imitatus ſit Miltonius vltimo in loco Virgilianam verecundiam; nam poſteaquam Adamus erubeſcentem Euam in ſacrum lucum induxiſſet, etiam terram collesque laetatos, auiculas cantillaſſe, et zephyri hilares ſuſurros auditos fuiſſe narrat etc. nam eſt totus locus legendus, qui non exiguam diuino poetae laudem ab Addiſſono et ipſo Magny conciliauit.

Verecundia Virg. in verb. et formulis.

Hiſce expoſitis veniamus ad aliud verecundiae genus, quod in ſcriptoribus laudamus. Sunt enim illis tria vitan-

tanda in oratione, obſcoena, ſordida, humilia, de quibus probabiliter diſputat Io. Lud. Strebaeus in libro bonae frugis pleno *de elect. et orator. collocat. verb. Lib. I. c. 5.* vbi apto exemplo allato docet, non, quicquid ſordidum, ſemper obſcoenum, nec, quae humilia, ſordida ſemper, ſed obſcoena et humilia et ſordida eſſe. Haec vt elegantiae ſtudioſus ſcriptor diligenter euitaret, optimi dicendi magiſtri praecceperunt. Ita Quintilianus non ſemel: vt *VI, 3. 29. Obſcoenitas vero, non a verbis tantum abeſſe debet, ſed etiam a ſignificatione*, et *VIII, 3. 17. Honeſta quidem turpibus potiora ſemper nec ſordidis vnquam in oratione erudita locus*, eodemque in libro, *2, 2. Nam et obſcoena vitabimus, et ſordida, et humilia:* denique *X, 1. 9. Omnibus fere verbis, praeter pauca, quae ſunt parum verecunda, in oratione locus eſt.* Operae etiam pretium eſt, verba Longini de hac virtute orationis adferre, e *Sect. XLIII extr.* ὀυ γὰρ δεῖ καταντᾶν ἐν τοῖς ὕψεσιν ἐις τὰ ῥυπαρὰ καὶ ἐξυβρισμένα, ἂν μὴ σφόδρα ὑπό τινος ἀνάγκης συνδιωκώμεθα. ἀλλὰ τῶν πραγμάτων πρέποι ἂν καὶ τὰς φωνὰς ἔχειν ἀξίας, καὶ μιμεῖσθαι τὴν δημιουργήσασαν φύσιν τὸν ἄνθρωπον, ἥ τις ἐν ἡμῖν τὰ μέρη τὰ ἀπόῤῥητα ὀυκ ἔθηκεν ἐν προσώπῳ, ὀυδὲ τὰ τοῦ παντὸς ὄγκου περιττώματα. ἀπεκρύψατο δὲ, ὡς ἐνῆν, καὶ, κατὰ τὸν Ξενοφῶντα, τοὺς τούτων ὅτι πορῥωτάτω ὀχετοὺς ἀπέστρεψεν, ὀυδαμῇ καταισχύνασα τὸ τοῦ ὅλου ζώου κάλλος. vbi apte Tollius notat, Ciceronem, naturae in hiſce ſolertiam deſcribentem, eandem quoque imitatum eſſe, laudatque locum e *L. II. de nat. Deor. c. 55. Quemadmodum autem reliquiae cibi depellantur tum adſtringentibus ſe inteſtinis, tum relaxantibus haud ſane difficile dictu eſt: ſed tamen praetereundum eſt, ne quid habeat iniucun-*

iucun-

iucunditatis oratio. Memini me legere apud Xenophontem locum, qui praeclarum huius verecundiae exemplum eſt. Sic enim Muſa illa Attica in *Cyropaed. L. VIII. p. 553. ed. Welſ.* ἦν αὐτοῖς ἐπιχώριον, τὸ μεταξὺ πορευομένους μήτε ἐσθίειν, μήτε πίνειν, μήτε τῶν διὰ ταῦτα ἀναγκαίων μηδὲν ποιοῦντας φανεροὺς εἶναι. Quam eleganter poſitum eſt hoc loco τῶν δ. τ. ἀναγκαίων? Atque etiam Ciceronem, exemplo Demoſthenis *c. Cteſiphont. p. 299.* quod ſupra fecit, etiam in *Philipp. II. c. 19.* feciſſe: vbi, *ſed iam ſtupra*, inquit, *et flagitia omittam: ſunt quaedam quae honeſte non poſſum dicere: tu autem eo liberior, quod ea in te admiſiſti, quae a verecundo inimico audire non poſſes:* eandemque verecundiam praecipere Senecam in *Controu. I, 2. p. 104. Longe recedendum eſt ab omni obſcoenitate verborum. quaedam ſatius eſt, cum cauſae detrimento tacere, quam cum verecundia dicere*, docetur Bern. Martini *Var. Lect. I, 12. p. 27. ed. Kemp.*

Quaeritur de verbis ſordidis.

Sed lubet hac opportunitate vti, quaeque mihi legenti veteres ſcriptores conſiderantique, quae ſordida videbantur, verba, in mentem venerint, cum viris eruditis communicare. Reprehendit Longinus in *Sect. III.* poetam, qui dixerat: πρὸς οὐρανὸν ἐξεμεῖν, notatque ibi Faber: *in coelum vomere. Turpe eſt, tetrum, foedum.* Sit. lubenter aſſentior. Sed nonne apud Virgilium occurrit: *VIII, 199. atros Ore vomens ignes magna ſe mole ferebat*, et *III, 575. Interdum ſcopulos auulſaque viſcera montis Erigit eructans.* et *ib. 632. ſaniem eructans ac fruſta cruento Per ſomnum commixta mero.* An haec pulchriora ſunt illo ἐξεμεῖν. neque tamen haec a quoquam repre-

prehendi memini. Quid igitur dicamus? an, vt iucundior et dulcior, ita etiam delicatior est Graecus Latino sermone? Locus ille Ciceronis in *Phil. II, n. 63. in coetu populi Romani, negotium publicum gerens, magister equitum, cui ructare turpe esset, is vomens, frustis esculentis, vinum redolentibus, gremium suum et totum tribunal impleuit:* forte pulcher, certe non deformis, videbatur Romanis. Quis vero hanc orationem siue in Gallico, siue in Theotisco sermone ferret? Porro memini Seruium ad *Aen. III, 216. foedissima ventris Proluuies*, notare: *et vitauit ne diceret stercus.* Hoc igitur verbum sordidius est verbo *fimus?* Certe ab hoc non abstinuit, vt *V, 333.*

> *Pronus in ipso*
> *Concidit immundoque fimo sacroque cruore*

atque *358. et vdo Turpia membra fimo.* et quid dicas de Homero, qui *Il.* ψ 774. inquit:

> Ἔνθ' Αἴας μὲν ὄλισθε θέων· βλάψεν γὰρ Ἀθήνη,
> Τῇ ῥα βοῶν κέχυτ' ὄνθος ἀποκταμένων ἐριμύκων —
> Ἐν δ' ὄνθου βοέου πλῆτο στόμα τὲ, ῥῖνάς τε.

Me offendit fere, vt libere sententiam dicam, haec imago: Graecis et Romanis forte non displicuit. An dicamus, minus sordidum esse verbum ὄνθος, quam κόπρος? Nam ridiculus certe error est in versione Latina, (vtor vero editione Barnesiana, cuius titulus *versionem Latinam emendatissimam* pollicetur) *Il. X. 414.* de Priamo, post triste fatum Hectoris: Πάντας δ' ἐλλιτάνευε, κυλινδόμενος κατὰ κόπρον: vertitur: *Omnes enim supplex orabat, volutans se per sterquilinium.* O miserum Priamum! quomodo te interpres ex homine muta-

Κόπρος.

mutauit in porcum? tene per ſterquilinium te volutaſſe? Sed, miſſis iocis, idem hoc loco poeta dicit, quam ſi dixiſſet κονίῃ aut κονίῃσι. Elegans eſt notula Scholiaſtae, ad Ω 164. Κόπρος ἔην κεφαλῇ τε καὶ αὐχένι τοῖο γέροντος, de Priamo: Κόπρος κοινῶς μὲν τὰ κόπρια. νῦν δὲ ἡ κόνις. hic abſurde iterum vertitur: *fimus affuſus erat capitique et cervici ſenis.* Paulo tolerabilius infra *v. 640.* κυλινδόμενος κατὰ κόπρον. *volutatus per cineres.* quidni potius per puluerem? Si in *emendatiſſimis* verſionibus talia leguntur, (et reſtat infinitus numerus ineptiſſimorum errorum) quid dicamus de minus emendatis? Tam verum eſt, quod Cl. Angel. Maria Riccius in *Diſſertat. Homer. X.* et *XI.* oſtendit, plurimum nocuiſſe Homero illiusque gloriam euertiſſe interpretationes Latinas, e quarum numero neque ego illam eximo, quae repetitae in Germania Clarckiani Homeri editioni addita eſt. Sed, vt eo redeam, nihil prope difficilius exiſtimo in arte Critica, quam de dignitate verborum recte iudicare. quanquam etiam mihi illud perſuaſi, vix poſſe de multis aliquid certi ſtatui, cum hoc de oratione iudicium, magis e conſuetudine et vſu, qui nunc omnino ſublatus eſt, quam e libris, addiſci poſſe videatur. Haec obiter de ſordidis verbis diſputare lubuit.

Dicamus nunc de verecundia illa, qua fieri videmus, vt, ſi res occurrat, quae ſimpliciter et libere dicta, faſtidii aliquid et offenſionis habitura eſſet, aut molliamus illam aliis honeſtioribusque verbis, aut indicemus magis, quam ante oculos ponamus, aut apta periphraſi narremus. Vide quae eleganter diſputat Hermogenes in libello περὶ μεθόδου δεινότητος, *p. 17. edit. Sturm.* vbi locum Herodoti *L. I. cap. 105.*

ἀμί-

Exempla verecundiae e Graec. ſcriptoribus.

ἀμίμητον, vt ait, profert. Afferamus etiam nos aliquot exempla e Graecis ſcriptoribus, quae collegimus olim. Neque enim hoc ab inſtituta diſputatione abhorrere puto, neque harum litterarum ſtudioſis iniucundum fore exiſtimo et inutile. Initium vero capiamus a Pindaro, qui *Pyth. IX.* ἀντις. β. canit:

ὉσίαΚλυτὰν χέρα οἱ προσενεγκεῖν;
Ἦ ῥα καὶ ἐκ λεχέων
Κεῖραι μελιηδέα ποίαν.

Quae Io. Benedictus ſic μεταφράζει: *eiusque iucundo concubitu prolem ſuſcipere:* eandemque verecundiam non minus obſeruat, quam Erasmus Schmidius, qui tamen notat: per μελιηδέα ποίαν intelligi, vel παρθενιάν, an fas ſit eam διαπαρθενεῖσαι, vel τέρψιν ἀφροδισίαν, an amore eius ſit fruendum? „quod tamen eodem redit. Scholiaſtes pariter: δρέψαι τὴν παρθενίαν αὐτῆς. ἤτοι διαπαρθενεῦσαι αὐτὴν καὶ ἐξ αὐτῆς γεννῆσαι παῖδα. μεταφορικῶς εἴρηκε τὴν ἀκμὴν ἢ τὴν παρθενίαν μελιηδέα ποίην. Similis locus occurrit in eodem carmine ἀντις ε.

Χρυσοςεφάνου δὲ οἱ ἥβας
Καρπὸν ἀνθήσαντ' ἀποδρέψαι ἔθελον.

quod etiam Scholiaſtes interpretatur: τὴν παρθενίαν αὐτῆς ἐβούλοντο λαβεῖν. conſule Dion. Lambinum ad *Horat. Carm. II, 5. 1.* Porro Apollonius Rhodius hoc nomine laudandus eſt, qui ἐρύειν πέπλου dixit pro: de ſtupro compellare: *L. I. v. 760.*

Ἐν καὶ Ἀπόλλων Φοῖβος ὀϊςεύων ἐτέτυκτο
Βούπαις οὔπω πολλὸς, ἑὴν ἐρύοντα καλύπτρης
Μητέρα θαρσαλέως τιτυὸν μέγαν.

vid.

vid. Georg. D'arnaud *Lection. Graecar. L. II. c. 5. p. 165.* Idem poeta eandem artem adhibuit infra *IV, 1024.* vbi eſt:

Ἔτι μοι μίτρη μένει, ὡς ἐνὶ πατρὸς
Δώμασιν, ἄχραντος καὶ ἀκήρατος —

i. e. adhuc virginitatem meam habeo. vide copioſe de hoc dicendi genere agentem Cl. Nic. Schwebelium ad *Moſchi Idyll. II, 73. p. 142.* Οὐδ' ἄρα παρθενικὴν μίτρην ἄχραντον ἔρυσθαι. qui locus mihi in memoriam reuocat alium fere ſimilem Homeri *Od. Λ. 244.* Λῦσε δὲ παρθενίην ζώνην, vbi Schol. ἀντὶ τοῦ διεπαρθένευσεν et Muſaei *v. 272.*

— — ὁ δ' αὐτίκα λύσατο μίτρην
Καὶ θεσμῶν ἐπέβησαν ἀριστονόου Κυθερείης.

vbi interpretatio Petri Fabri mihi non placet. Χαρίζεσθαι vero eſſe idem quod conſueſcere cum aliquo et χάρις poni pro obſequio foeminarum docuit iam Graeuius ad *Lucian. T. II. p. 898.* (conf. Guil. Canteri *Nou. Lect. L. VI. c. 19. p. 314.*) et Cl. Alberti in *Obſ. Philol. p. 245.* διαλέγεσθαι eſſe rem habere cum muliere. *Ludere* autem, et Graece παίζειν dici eodem ſenſu obſeruat Io. Marius Mattius in *Opinionum L. III. c. 27. p. 438. edit. Traiect.* Pariter Conr. Rittershuſius in Oppiani *Halieut. I, 127.* ὥς θ' ἁλιῆες

Ἀνδρὸς ἐπωνυμίην θηλύφρονος ηὐδάξαντο.

per periphraſin innui dicit obſcoeni nominis piſcem κίναιδον, poetamque, ne foeda voce diuinos verſus ſuos turpificaret, circuitione pudentiſſime vſum eſſe. Talem verecundiam obſeruat etiam Cl. Trillerus in Aeliani *Hiſtoria Animal.* aliquoties: *I, 17.* εἰς τὴν μητέρα εἰσέδυ αὖθις κατὰ τὸ ἄρθρον. (conſule Io. Vit. Pergerum et Cl. Alberti ad *Heſych. p. 527. 10.*) *XVII, 11.* ὀρθοῦται τὸ σκεῦος αὐτοῖς, et *ib. 12.* παιδοποιὸν σῶμα. vide animaduerſiones, quas editio Londinen-

dinensis habet. Eandem corporis partem verecunde dici *ῥάβδος* et *βέλος*, notat Salmasius ad *Lamprid. Heliogab. c. 8. p. 813.* idemque Cl. Trillerus in *Obseruat. Criticis, p. 153.* Est etiam elegantissimus locus apud Plutarchum, in *Lycurgo, p. 48. ed. Fcf.* quem, licet longiorem, non possum non adscribere. ὁ δὲ νύμφιος, οὐ μεθύων, οὐδὲ θρυπτόμενος, ἀλλὰ νήφων, ὥσπερ ἀεὶ, δεδειπνηκὼς ἐν τοῖς Φιδιτίοις, παρεισελθὼν ἔλυε τὴν ζώνην, καὶ μετήνεγκεν ἀράμενον ἐπὶ τὴν κλίνην· συνδιατρίψας δὲ χρόνον οὐ πολὺν ἀπῄει κοσμίως, οὗπερ εἰώθει τὸ πρότερον καθευθήσων μετὰ τῶν ἄλλων νέων, καὶ τὸ λοιπὸν οὕτως ἔπραττε, τοῖς μὲν ἡλικιώταις συνδιημερεύων καὶ συναναπαυόμενος· πρὸς δὲ τὴν νύμφην μετ᾽ εὐλαβείας φοιτῶν, αἰσχυνόμενος καὶ δεδιὼς, μή τις αἴσθοιτο τῶν ἔνδον. ἅμα καὶ τῆς νύμφης ἐπιτεχνωμένης καὶ συνευπορούσης, ὅπως ἂν ἐν καιρῷ καὶ λανθάνοντες ἀλλήλοις συμπορεύοιντο· καὶ τοῦτο ἔπραττον οὐκ ὀλίγον χρόνον, ἀλλ᾽ ὥστε καὶ παῖδας γενέθαι ἐνίους πρὶν ἐς ἡμέραν θεάσαθαι τὰς αὐτῶν γυναῖκας. ἡ δὲ τοιαύτη σύνοδος οὐ μόνον ἐγκρατείας καὶ σωφροσύνης ἄσκησις ἦν, ἀλλὰ τοῖς τε σώμασι γονίμους καὶ τῷ φιλεῖν ἀεὶ καινοὺς καὶ προσφάτους ἦγεν ἐπὶ τὴν κοινωνίαν, οὐδὲ διακορεῖς οὐδ᾽ ἐξιτήλους ταῖς ἀναίδην κοινωνίαις, ἀλλ᾽ ἀεί τι λείψανον καὶ ὑπέκκαυμα πόθου καὶ χάριτος ἐναπολείποντας ἀλλήλοις. Venustissimus vero locus! Hinc profecto discere possumus, quomodo versari debeat scriptor in commemorandis rebus, quarum simplex narratio molesta foret. Quam pulchra enim et verecunda sunt verba λύειν ζώνην, συμπορεύεσθαι, συνδιατρίβειν, κοινωνία, σύνοδος, φοιτᾶν. Eodem sensu saepe tum in interpretatione τῶν *LXX.* tum in *N. T.* occurrit ἅπτεσθαι, προσέρχεσθαι, πλησιάζειν. Hoc sensu etiam ponitur συνοικεῖν, quod do-

cet Thomas Gatakerus *de Stylo N. T. C. XI. p. 121.* atque, vt Petr. Moll ad *Longi Pastoral. L. III. p. 79.* ostendit, ποιεῖν et δρᾶν. Quid? quod verba πρᾶγμα et ἔργον saepe eandem significationem habent. vid. Cl. Trillerus in *Curis Philolog. Wolf. T. II. p. 628.* et in *Obs. Crit. p. 212.* Quae addi possunt iis, quae nos supra de verbo ῥέξαι diximus. Sic memini me legere, Glassium in *Philol. S. L. I. T. III. S. 8.* et Fesselium in *Aduers. Sacr. L. II. c. 16.* obseruasse, verbum בוא *Genes. VI, 4.* et *XVI, 2.* eodem sensu positum esse. Quemadmodum etiam apud Terentium *Andr. I, 1. 58. Dic sodes, quis heri Chryseidem habuit?* et apud Aristaenetum *II, 4.* ἕως ἀλλήλους ἔχομεν, plus indicatur, quam dicitur. Vide omnino Cl. Alberti *Obseru. Phil. p. 99.*

Exempla e Virgilii carminibus.

Sed redeamus ad Virgilium nostrum, atque ex illius carminibus huius verecundiae exempla afferamus. Primum nobis occurrit locus memorabilis e *Georg. III. 60.* vbi de armentis dicitur:

Aetas Lucinam iustosque pati hymenaeos
Desinit ante decem, post quattuor incipit annos:
Caetera nec foeturae habilis, nec fortis aratris.
Interea, superat gregibus dum laeta iuuentus,
Solue mares: mitte in Venerem pecuaria primus:
Atque aliam ex alia generando suffice prolem.

Nonne res, quas si nude commemorasset, lectoribus mouisset fastidium, verborum verecundo vsu ita molliuit, vt non solum legamus haec, sed legamus etiam lubenter, et artem poetae miremur? *Venerem* enim videmus absolute poni pro ἔργοις Ἀφροδίτης, fere vt apud Anacreontem *od. 23.*

Ἐν δ' ἀπαλαῖσι κοίταις
Τελεῖν τὴν Ἀφροδίτην.

Similiter paullo infra *v. 97.*

Frigidus in Venerem ſenior, fruſtraque laborem
Ingratum trahit, et, ſi quando ad praelia ventum eſt,
Vt quondam in ſtipulis magnus ſine viribus ignis,
Incaſſum furit.

Quanta cura et arte poſita ſunt verba: *labor*, *praelia*, *furit!* Multi forte ſe eadem ratione de hac re loqui poſſe putabunt, iidemque tamen, ſi periculum fecerint, nihil videbunt eſſe difficilius. Quam eleganter *v. 125.* admiſſarium deſcribit:

Quem legere ducem et pecori dixere maritum:
- - - *ne blando nequeat ſupereſſe labori,*

ad quem locum vide Philargyrium, atque *v. 159.*

Et quos aut pecori malint ſubmittere habendo.

Qualia autem videntur haec: *v. 135.*

Hoc faciunt, nimio ne luxu obtuſior vſus
Sit genitali aruo et ſulcos oblimet inertes?
Sed rapiat ſitiens Venerem interiusque recondat.

quo in loco nemo non ſummum poetae ingenium admirabitur. Intellexit mirificam artem praeter alios ipſe ſuauiſſimus poeta Georg. Sabinus, explicuitque in *praecept. de carmin. componend. p. 5. edit. Acker.* vbi etiam alia habet lectu digna, et huc pertinentia. Iis, quae Burmannus dixit, iuuat addere quaedam. Saepe ſcriptores formulis ἀρουν. ἄλοκες. ab aruis et ſationibus petitis vtuntur, vbi verecunde ἔρωτος ἀγῶνα, (vt ait Muſaeus *v. 197.*) indicare cupiunt. Copioſius reliquis Plutarchus in *Lycurg. p. 49.* ait: πεῖσαι τὸν ἄνδρα συνελθεῖν, ὥσπερ ἐν χώρᾳ καλλικάρπῳ φυτεύοντα, καὶ ποιούμενον παῖδας ἀγαθούς. Pariter σπείρειν,

ρειν, ἄρουρα, ἀροῦν eleganti et honesta translatione dici docet Rittershusius ad *Oppian. Halieut. IV, 26.* multis exemplis adductis, vt Theognidis, (*v. 582.*) vbi habemus ἀνέρα μαργὸν, ὃς τὴν ἀλλοτρίην βούλετ' ἄρουραν ἀροῦν: Platonis, qui *de Leg. I.* praecipit, ἀπέχεσθαι ἀρούρης θηλείας πάσης, ἐν ᾗ μὴ βούλεο ἄν σοὶ φύεσθαι τὸ σπαρέν, aliorumque plurium. consule Heinsium in *Aristarch. Sacr. p. 736. edit. a. 1639.* Steph. Berglerum ad *Alciphron. L. I. ep. 6.* vbi est: οἵ με ἐγγυητὴν ἐπίκληρον ἐπὶ παίδων ἀρορότων γνησίων συνῆψάν σοι γάμῳ, et Doruillium ad *Chariton. p. 239.* vbi merito notat Nonnum, qui inepte haec ad mysteria Christiana transtulit, et γυνὴ ἀνήροτος dixit. Ideo recte Scholiastes Sophoclis ad *Oed. Tyr. 1234.* ἄλοκες. αἱ κοῖται, αἱ σποραὶ, οἱ γάμοι. vid. Sopingium et Cl. Alberti ad *Hesych. p. 246. 26.* eundemque copiose agentem vna cum Kustero *p. 1656. 19.* vbi est: Ἤρωσεν. ἐγέννησεν. Atque hinc translatum fuit ab opere rustico ἔργον pro ἔργοις Κύπριδος, vt est apud Musaeum, *v. 141.* vid. intt. et inprimis Burmannum ad *Petron. c. 82. p. 523.* atque Pithoeum et Scioppium ad eundem, *p. 609.* Haec vero sufficiant ad locum Virgilii illustrandum. Vnum addamus e Georgicis exemplum. *III, 209.*

Sed non vlla magis vires industria firmat,
Quam Venerem et coeci stimulos auertere amoris
Siue boum, siue est cui gratior vsus equorum.

compara *v. 215. 258. 266. 275.* Nolumus enim omnia exempla adferre. Insigniora tantum adscripsimus. Multa etiam nobis offert diuina Aeneis, vt *I, 75.*

Sunt mihi bis septem praestanti corpore Nymphae,
Quarum quae forma est pulcherrima, Deiopeam
Coniugio iungam stabili propriamque dicabo:

Omnes

Omnes vt tecum meritis pro talibus annos
Exigat, et pulchra faciat te prole parentem.

vt *v. 349.*

Cui pater intactam dederat primisque iugarat
Ominibus.

vbi quod Fulu. Vrſinus in *Virg. coll. Scr. Gr. ill. p. 242. ed. Valck.* κουριδίαν Homerum *intactam* dixiſſe opinatur, recte, puto, opinatur. Nam Euſtathius ad *Il. A. 114. p. 127. ed. Polit.* interpretatur quoque: ἥν τις κόρην ἔτι οὖσαν ἠγάγετο, οὐ μὴν ἢ ἑτέρῳ προσυζευχθεῖσαν εἰς γάμον. cui aſſentitur Io. Scherpezeelius ad *Moſchop. Schol. p. 31.* atque ita etiam *Vet. Schol.* dum exponit: παρθενικῆς γυναικός. Denique *v. 617.*

Tune ille Aeneas, quem Dardanio Anchiſae
Alma Venus Phrygii genuit Simoentis ad vndam?

Quam apta circumlocutione celat id, quod dicere debebat: Venerem cum Anchiſe concubuiſſe. fere vt *III, 475.*

Coniugio, Anchiſa, Veneris dignate ſuperbo.

vbi non mala eſt obſeruatio Seruii: *Bene, cum Veneri libidinem non obiicit, dicendo,* coniugium, *maiorem honorem Anchiſae tribuit.* atque ita etiam *VII, 189.* vbi Seruium vide, verbo *coniux* vtitur. vid. prae aliis Brukhuſium ad *Tibull. p. 297.* Sequuntur de amore Didonis permulta, ſed eadem elegantiſſime dicta, quorumque iam partem ſupra explicuimus. Praeter alia *L. IV, 194.* narrat, famam Aeneae Didonisque amores diuulgaſſe:

Nunc hiemem inter ſe luxu, quam longa, fouere,
Regnorum immemores, turpique cupidine captos.

Turpem vero cupidinem recte interpretatur Seruius inhoneſtum amorem: qui etiam bene notauit *v. 189.*

Hic Hammone ſatus, rapta Garamantide Nympha, dici *rapi* pro ſtuprari. Eodem in libro quanta arte occultat Dido crimen ſuum, cauetque, ne culpam fateatur. Elegantiſſima ſunt haec: *v. 314.*

— — per ego has lacrimas dextramque tuam te
Per connubia noſtra, per inceptos hymenaeos,
Si bene quid de te merui, fuit aut tibi quidquam
Dulce meum.

Vt conſulit pudori ſuo! *connubia* vocat, *inceptos hymenaeos* conſuetudinem priſtinam. Seruius eleganter obſeruat: *tetigit rem inhoneſtam, ſic Terentius Andr. I, v. 54. ſeu tibi morigera fui in rebus omnibus.* Et multum ad huius loci illuſtrationem facere puto Sophocl. *Aiac. 523.* Ἀλλ᾽ ἴσχε κἀμοῦ μνῆστιν· ἀνδρί τοι χρεὼν Μνήμην προσεῖναι, τερπνὸν ἐι τί που πάθοι. quem locum miror nulli interpretum in mentem veniſſe. Notat quoque Burmannus Stephanum, *in diſſert. de Criticis. p. 102.* ſcribere: quosdam culpare Maronem, quod rem obſcoenam contra decorum hic expreſſerit. Sed recte defendit poetam, dicitque, ſatis honeſte a muliere iam corrupta, praecipue in exprobratione infido amanti facta, indicari illa gaudia. Addo illud: duplici modo hunc locum intelligi poſſe: cum, vt in memoriam reuocet priſtinum amoris vſum, tum in vniuerſum ſic: ſi vlla rerum mearum tibi grata, ſi quidquam eorum, quae poſſideo, quae tibi dedi, tibi iucundum fuit. Quid dicere velim, facilius intelligent, qui recordentur Homeri verſum, *Il. A. 31.* ἱστὸν ἐποιχομένην, καὶ ἐμὸν λέχος ἀντιόωσαν, quaeque Euſtathius ibi *p. 66. ed. Polit.* notauit, legant. conſule etiam P. Moll. ad *Longi Paſtor. p. 79.* Lubet porro, quae ad *v. 433. Tempus inane peto requiem ſpatiumque furori,* notauit

uit Burmannus, repetere, praesertim cum non in omnium manibus sit illa Maronis editio. *Tempus inane:* „quo nihil agatur de coniugio nostro, sed „quo dediscam furere, et insaniter amare. recte et„iam Seruius explicat, sine officio coeundi, vt inte„rim non congrediatur cum Didone, vt antea furo„re impulsa in spelunca se Aeneae substrauit. eo sen„su Marcia Catonis *foedera illibata* repetens dicit: „*da tantum nomen inane Connubii* apud *Lucan. II*, „*342.* vel si quis honestius quid Didonem voluisse pe„tere velit, *inane* etiam potest sine fructu explicare: „vt dicat, quia scio, etiamsi tempus mihi aliquod de„tur, nihil me profecturam, aut illum ad amorem „iterum posse redire, vt supra *v. 218. fama inanis* et similia. Haec ille. Sed valde mihi displicet Seruii interpretatio, neque verbum *inanis* hunc sensum admittere mihi videtur. Procul dubio interpretatio, vltimo loco proposita, melior est veriorque. Restant tria loca, primus in *L. VI. 623.*

Hic thalamum inuasit natae vetitosque hymenaeos

alter in *L. VII, 659. quem Rhea sacerdos*

Furtiuum partu sub luminis edidit oras
Mixta deo mulier.

fere vt Latini dicunt *furtiuam Venerem*, et Graeci κρυπταδίην Κυθέρειαν. vid. Cl. Schwebelium ad *Bion. p. 81.* sic et *Aen. IX, 546.*

Moeonio regi quem serua Lycimnia furtim
Sustulerat.

quae loca comparauit Clarkius cum Homerico *Il. B. 515.* Οὓς τέκεν Ἀστυόχη —

Ἄρηϊ κρατερῷ. ὁ δέ οἱ παρελέξατο λάθρη.

Est enim *furtum*, quidquid occulte geritur. vid. Heinsium ad *Ouid. Met. IX, 706.* Inde et ὑποκλέπτειν Ἀφροδίτην est apud Musaeum. vi-

de omnino Heinſium et Drakenborch. ad *Sil. It. VII*, *487*. Sophocles in *Trachin. 363*. dicit: Ἀλλ᾽ ἡνίκ᾽ οὐκ ἔπειθε τὸν φυτοσπόρον Τὴν παῖδα δοῦναι, κρύφιον ὡς ἔχοι λέχος. Reſtat tertius in *VIII*, *404*. de Vulcano:

Ea verba locutus
Optatos dedit amplexus placidumque petiuit
Coniugis infuſus gremio per membra ſoporem.

Nolo, mehercle! nolo repetere, quae ad hunc locum Seruius notauit. Seuerus Grammaticus Phyſici partes ſibi agendas ſumſit. Nec probo Burmanni ſententiam, qui Seruio aſſentitur. Potius afferam, quae A. Gellius in *Noct. Att. IX*, *10*. eleganter ſuper hoc loco diſputauit. „Annianus, inquit, poeta, et pleri„que cum eo eiusdem Muſae viri, ſummis aſſiduis„que laudibus hos Virgilii verſus ferebant, quibus „Vulcanum et Venerem, iunctos miſtosque iure con„iugii, rem lege naturae operiendam verecunda qua„dam translatione verborum cum oſtenderet demon„ſtraretque, protexit. Sic enim ſcripſit: *ea verba lo„cutus etc.* Minus autem difficile eſſe arbitrabantur, „ad iſtiusmodi reticenda verbis vti vno atque altero, „breui tenuique ea ſigno demonſtrantibus, Homerus „ſicuti dixerit — Tot vero et tam euidentibus, ac „tam non praetextatis, ſed puris honeſtisque verbis „venerandum illud concubii pudici ſecretum nemi„nem quenquam alium dixiſſe. ſed Anneus Cornu„tus homo, ſane pleraque alia non indoctus neque im„prudens, in ſecundo tamen librorum, quos de figu„ris ſententiarum compoſuit, egregiam totius iſtius „verecundiae laudem inſulſa nimis et odioſa ſcruta„tione violauit. nam cum genus hoc figurae probaſ„ſet, et ſatis circumſpecte factos eſſe verſus dixiſſet, „*membra* tamen, inquit, paullo incautius nominauit.„

Hacte-

Hactenus Gellius docte et eleganter. Quod vero ad *τὸ membra* attinet, etsi non ignoro, *membra* Latinis, vt Graecis *μέλη*, pro ipsis pudendis sumi pudice, (vid. Munckerus ad *Hygin. Fab. CLXXIV. pag. 258.* et Trillerus in *Obs. Crit. p. 297.*) potest fortasse locus etiam sic explicari: Vulcanus per sua membra somnum petiit. Neque video, hanc si interpretationem admittamus, quomodo aliquid incautius cuiquam dictum videri possit. Quare male, si quid video, Ausonius in *Idyll. XXVIII.* vbi defensores, certe socios, criminis, quaerit, ad hos Virgilium nostrum refert. *Quid etiam*, inquit, *Partheniam dictum causa pudoris? qui octauo Aeneidos, quum describeret coitum Veneris atque Vulcani, γλισχροσεμνίαν decenter imiscuit. Quid in tertio Georgicorum de summissis in gregem maritis? nonne obscoenam significationem honesta verborum translatione velauit?* Quomodo vero haec laudi et verecundiae Virgilii aliquid detrahant? nonne ille eo maiori laude dignus est, quo castius, quae omittere non licebat, expressit? Nihil igitur verius atque melius Ausonius dixit, quam cum, cubiculi et lectuli operta prodíturus castissimi Virgilii versibus detortis et corruptis, *bis*, ait, *erubescamus, qui et Virgilium faciamus impudentem.* Et memini iam Petrum Bailium defensionem Virgilii contra Ausoninm suscipere, multaque lectu iucunda, quaeque huc pertinent, disputare, (*Tom. IV. p. 453.*) quae compilare non opus esse nobis videtur. Quod vero Plinius in *Libr. V. ep. 5.* Virgilium iis addit, quos in versiculis parum seueris scribendis auctores sequatur, quo pertineat hoc, non intelligo. nisi quis velit dicere, Virgilium iuuenem fortasse lasciuiores versiculos scripsisse,

Locus Ausonii.

et Plinii.

qui perierunt, aut Plinium eum auctorem carminum, quae Priapeia appellantur, putasse. Mihi quidem, etsi opinio Angeli Politiani, qui in *Miscell. cap. 59.* illa carmina Ouidio tribuit, non displiceat, a pluribus tamen poetis ea facta esse videntur. Noui denique imaginem Didonis, summa arte a poeta effictam, permultis displicere. Alii enim male egisse putant Virgilium, qui reginam castitatis et verecundiae laude florentem in leuem meretriculam commutasset: alii eum boni poetae, qui vitam instruere, bona praecepta instillare lectoribus, moresque emendare debeat, partes neglexisse censent: quidam Aeneam, quem pium, magnanimum, iustum virum canat poeta, hanc laudem sibi ipsum detrahere existimant, quod se amore Didonis longius abripi passus sit. Atque etiam insunt in his, quae probabiliter disputari possint. Sed et satis bene viri eruditi Virgilium defendisse nobis videntur, et nos supra ostendimus, maximam verecundiam eum in tota hac historia exponenda adhibuisse, vt ea taceam, quae in hanc partem Iac. Tollius in *Animadu. Crit. ad Longin. Gustu p. 360.* acute protulit. Quis etiam audeat eam Aeneidos partem vituperare, cui maxima procul dubio vis inest? quis eos versus reprehendere, quibus Ignatius Loiola tantam rem effecit? Nam cum, (vt Petrus Bailius e Turriani historia Iesuit. commemorat, *T. III. p. 143.*) hunc Romae muliercula persequeretur clamaretque: tu solus me liberare et iuuare potes, bonus vir misericordia tactus, quoniam alia arma deerant, hunc versum pronunciauit:

Imago Didonis.

Speluncam Dido dux et Troianus eandem
Deueniunt:

quo recitato, daemon statim mulierculae corpore exsiluit.

luit. Quam quidem hiſtoriam nuper non ignorare debebant homines quidam, quibus illa vtiliſſima eſſe poterat. Sed quam quisque norit artem, in hac ſe exercere eum debere, antiquis fuit in prouerbio. *Καὶ ταῦτα μὲν δὴ ταῦτα.*

EXCVRSVS I.

Mores paſtorum in eclogis Virgilii examinantur.

Cum, quae nouitatis ſpeciem habeant, receptisque ſententiis contradicere videantur, opiniones plerumque non careant inuidia, primum omnium illud deprecabor, ne me eo conſilio, vt detraherem laudibus Virgilii, quem admiror, quem magnum, quem diuinum poetam eſſe credo, quem omnes omnium laudes ſuperare cum Scaligero puto, quem cum eodem *vltimum Muſarum conatum*, appellare non dubitem, ſi quis acrius inſtet, has animaduerſiones ſcripſiſſe quisquam arbitretur. Vellem, vt interpretum aliquis accurate examinaſſet eclogas Maronis. Quod, quoniam a nullo factum eſſe animaduerto, libere quidem, ſed ita tamen meam ſententiam exponam, vt ſimul me acutiorum doctiorumque hominum diſſenſum, non ſolum aequo animo, ſed lubenter quoque accepturum eſſe, profitear. *I, 62.*

Ante, pererratis amborum finibus, exſul,
Aut Ararim Parthus bibet aut Germania Tigrim.

Offendit me paullulum hic locus. Poetae eclogas ſcribenti ſimpliciſſimos hominum mores exprimendos et ſedulo omne illud euitandum eſſe cenſeo, quod ab hac ſimplicitate abhorreat. Nonne vero parum probabile eſt, paſtores, qui rure viuant, qui de ouibus, de pratis, de floribus, non de ſitu regionum et fluuiis

fluuiis diſputant; eos igitur ἀδύνατον aliquid deſcribere cupientes nominare Ararim, Parthos, Germaniam, Tigrim, et, quod caput eſt, non Italiae fluuios, ſed magno terrarum ſpatio disiunctos fluuios nominare? Nam quod quidam interpretes dicunt, quia Araris Galliae fluuius ſit atque a paſtore Germaniae hic tribuatur, eo inſcitiam et ſimplicitatem ruſticam poetam indicare velle, non placet, nec placebit cuiquam bonam Burmanni ad h. l. notam legenti. Pulcher eſt hic locus, ſi obliuiſcor paſtorem loqui, et Virgilium tantummodo cogito. Sed doctior, et exquiſitior eſſe videtur ſententia, quam quae paſtori in mentem venire potuerit. Melius Virgilius in aliis locis, quid deceret paſtoris perſonam, obſeruauit. Venuſtiſſimus mihi certe ſemper viſus eſt locus in *Ecl. II, 25.*

Nec ſum adeo informis, nuper me in littore vidi,
Quum placidum ventis ſtaret mare.

Quanta eſt huius loci venuſtas! quam naturalis pulchritudo! potuitne paſtor ſimplicius indicare, ſibi vultus ſui pulchritudinem non ignotam eſſe, aut poteſt meliorem rationem narrare, qua illam cognouerit? Similiter Ouidius, in *Metam. XIII.*

Certe ego me noui liquidaeque in imagine vidi
Nuper aquae, placuitque mihi mea forma nitenti,

et Nemeſianus *Ecl. II.*

Quin etiam fontis ſpeculo me mane notaui.

quae loca iam comparauit Meurſius cum *Callimach. H. in Lauacr. Pall. 19.*

οὐδὲ Σιμοῦντος
ἔβλεψεν δίναν ἐς διαφαινόμεναν.

quibus addatur locus Calpurnii:

Fontibus in liquidis quoties me conſpicor ipſe,
Admiror toties etc.

vide

vide, quae Gilbertus Cognatus notauit ad *Lucian. Dial. Marin. p. 289. T. I. ed. Reitz.* At eodem in carmine paullo doctiores mihi videntur versus hi:

Habitarunt DI quoque syluas
Dardaniusque Paris. Pallas, quas condidit arces,
Ipsa colat: nobis placeant ante omnia syluae.

Poetam haec magis videntur decere, quam pastorem. Sed fortasse ideo defendi potest Maro, quoniam et Paris pastor fuit, (*Pastor perfidus* Horatio dicitur) et Minerua, vt dea, neque pastori ignota esse potuit. Possunt haec ita defendi, verum, quoniam hac defensione egent, non placet pastorem ita locutum esse. Quam tenera contra et mollia haec:

O crudelis Alexi, nihil mea carmina curas?
Nil nostri miserere? mori me denique coges.

Obseruarunt iam interpretes hoc expressum esse e Theocriteis istis: ἀπάγξασθαι με ποιήσεις. Vtrum dicamus melius esse? Grauis fuit contentio de verbo ἀπάγξασθαι inter Iac. Gronouium et Perizonium, quorum ille verbum hoc de suspendio, hic de animi moerore exposuit, atque hanc interpretationem multis confirmare laborauit. vide etiam Raphelii *Annot. Philol. e Polyb. et Arr. ad Matth. XXVII, 5.* et Cl. Alberti ad *Hesych. p. 76. 20.* Illorum quidem scripta nunc non vacat euoluere, atque ideo, quomodo illum Theocriti locum et an interpretati sint, ignoro. Verum ita existimo: si hic ἀπάγξασθαι explicemus, tu denique me ad laqueum, ad restim rediges, melius omnino esse Virgilianum: *mori*, illudque Theocriteum nimis fere saeuum, atrox, et crudele pro moribus pastorum esse. vide tamen Doruillium ad *Chariton. p. 46.* Bene *Iac. Sannazarius* piscatorem, sibi vitam erepturum, ita loqui iubet in *Ecl. II, 73.*

Iam

Iam ſaxo me me ex illo demittere in vndas
Praecipitem iubet ipſe furor. Vos o mihi, Nymphae,
Vos maris vndiſoni Nymphae, praeſtate cadenti
Non duros obitus ſaeuasque exſtinguere flammas:

(licet non negem, vltimam ſententiam videri in ore hominis deſperati nimis argutam) et in *Ecl. III*, 51.

Aut reuocet iam Niſa ſuum, nec ſpernat Iolam
Aut videat morientem: haec ſaxa impulſa marinis
Fluctibus: haec miſero vilis dabit alga ſepulchrum.

Quod lethi genus conuenientius erat piſcatori? Habet praeterea illa repetitio verbi *Nymphae* aliquid dulce, vt etiam *me me*, quod valde mouet, vbi; tamen pro *vndiſoni* aliud verbum ſi poſuiſſet poeta, quodque melius rei propoſitae conueniret, locus magis placeret. Porro venuſtiſſime mores paſtorum expreſſit Virgilius in *Ecl. III*, 40.

In medio duo ſigna: *Conon*, *et quis fuit alter?*
Deſcripſit radio totum qui gentibus orbem.

ad quem locum Seruius eleganter notat: *Conon dux fuit, cuius nomen dicit, quia in omnium ore verſatur: nam Philoſophi tacet, quod non facile poteſt ad ruſticum peruenire: et bene ea dicit Philoſophi, quae ad ruſticum pertinent, vt: Tempora, quae meſſor, quae curuus arator haberet.* Praeterea puto locum ita eſſe conſtituendum, Paſtor dicit: *in medio duo ſigna: Conon et —.* hic ἀποσιώπησιν exiſtimo eſſe fingendam. nominare vult paſtor alterum, iamque dicit *et.* nunc haeret, neque nomen recordatur. quare addit ſtatim. *quis fuit alter?* Habes pulcherrimam hominis rure viuentis imaginem. Liceat e *Sannazarii* eclogis exemplum addere ſimile. nam in *Ecl. III.* vbi piſcatori de regionibus longe remotis dicendum eſt, *v. 20.* dicit:

Rho-

Rhodanique inuecta per amnem

Nam bene si memini Rhodanum referebat Amilcon,

mox de Britannis addit:

Et, quae caeruleos procul adspicit ora Britannos,
Qui, nisi vana ferunt, quoties maris vnda resedit,
Indigenae captant nudos per littora pisces.

Quam decet haec simplicitas piscatorem! Venuste hoc etiam obseruauit Longus in *Pastoral. p. 88.* vbi, cum Echo praeternauigantium nautarum cantus referret, Chloe tum primum hoc experta, Daphnin interrogat, num etiam post hoc promontorium sit mare, ibique nauis alia praeteruehatur, aliique nautae eadem canant. compara alium non minus pulchrum locum in *L. IV. p. 135,* Ciceronem memini huius simplicitatis exemplum dare egregium in *Verrin. IV.* vbi, cum de signis loqueretur, neque tamen harum rerum cognitione imbutus esse videri cuperet, quam callide dixit: *ex altera parte Hercules egregie factus est ex aere. is dicebatur esse Myronis, vt opinor et certe. c. 2.* et quam belle paullo post: *erant aenea praeterea duo signa — Canephora ipsae vocabantur. sed earum artificem quem? quemnam? recte admones. Polycletum esse dicebant.* qui locus simillimus est Virgiliano. At iterum in Virgilio me locus offendit: In *Ecl. V, 71.* ait pastor:

Vina nouum fundam calathis Ariusia nectar:

Probanturne tibi vina Chia in ore pastoris? Equidem non quaesiuissem tam elegantem hominem inter rusticos. Quid multa? Ariusia vina uon magis volo illum pastorem narrare, quam nunc in Germania pastorem Burgundica et Hispanica. Denique, si, quid deceat pastores, consideramus, facile de duorum locorum interpretatione iudicabimus, in qua a reliquis interpretibus dissentio. In *Ecl. V, 10.*

Incipe

Incipe Mopse prior, si quos aut Phyllidis ignes
Aut Alconis habes laudes, aut iurgia Codri,
Incipe.

Hic ego valde acumen Seruii desidero. Nam per Phyllida intelligit reginam Thracum, per Alconem comitem Herculis, peritissimum sagittarium, per Codrum illum Atheniensium ducem nobilissimum. Pastor scilicet calluit antiquorum temporum historiam, atque mortem Codri pro patria agresti calamo decantauit. Quidni dicamus potius, Phyllida esse quamcunque aliam puellam, et Alconem pastorem aliquem. De Codro placet sententia Burmanni: *sed forte*, ait, *certamen pastoritium intelligit, et illum Codrum, qui memoratur Ecl. III, 22. aut nomen pastoris arbitrio poetae fictum.* Vltima opinio procul dubio verissima est. Illius Codri laudes tuba celebrari debent, earumque canendarum cupiditas non cadit in pastorem, qui susurros riuorum, non strepitum Martis, curat. Alter locus est in *Ecl. II, 11. Allia serpillumque herbas contundit olentes.* Reprehendit Burmannus Vondelium, qui *olentes* interpretatus est bene olentes, quam interpretationem veram esse puto. Nam, quod primum ille dicit, non cogitasse Vondelium has dapes parari messoribus, qui longe a bene olentibus herbis abfuerint, mihi secus videtur. Quoniam de messoribus sermo est, ideo Vondelius recte haec ita exposuisse videtur. Non quaeritur, vtrum bene an male allia serpillumque oleant delicatis hominibus aliisque cibis adsuetis: hoc puto considerandum esse, quomodo oleant messoribus. His rure viuentibus, vilibus cibis adsuetis, et dapes vrbanas ignorantibus herbarum illarum odorem gratum esse arbitror Sunt vel furfurei panes his iucundi, qui a beatis contemnuntur. Dabo lubenter

benter, Burmanno mihique etiam iniucundum odorem has herbas reddere: illud nego, insuauem esse hunc odorem pastoribus. Deinde verbum *olentes* hunc sensum admittere, e locis quibusdam Ouidii coniicio: vt Met. *X*, *729*. *Foemineos artus in olentes vertere menthas:* at est tamen menthae odor iucundissimus, vt e Plinii *H. N. XIX*, *8*. quem locum iam alii attulerunt, patet: *Menthae nomen suauitas odoris apud Graecos mutauit*, *cum alioquin mintha vocaretur.* Porro *Art. III*, *690*. *Ros maris et lauri nigraque myrtus olent.* atque *I*, *95*. *Aut vt apes saltusque suos et olentia nactae Pascua per flores et thyma summa volant.* vbi non probare possum Heinsium ex ingenio emendare: *Hymettia*. *Olentia* esse saepissime idem, quod male olentia, noui, et docet Philargyrius ad *Georg. II*, *134*. sed noui etiam verum esse, quod notat Seruius ad *Aen. I*, *436*. *Redolent. quidam* olere *res vel malas vel bonas:* redolere *tantum bona tradunt.* confer. *Georg. I*, *188*. *quum se nux plurima siluis Induet in florem et ramos curuabit olentes*, quem locum tamen Burmannus explicat per *odoriferos*. sed si quid video, aperte nobis fauet auctor carminis, quod *Ciris* inscribitur, quisquis ille sit. Nam *v*. *369*. canit:

At nutrix patula componens sulfura testa,
Narcissum, casiamque, herbas incendit olentes.

Nam has herbas suauissimi odoris esse, vel Virgilius docebit *Ecl. II*, *45*.

Narcissum et florem iungit bene olentis anethi.
Tum casia, atque aliis intexens suauibus herbis etc.

Iterum *Georg. IV*, *30*. occurrit: *Haec circum casiae virides et olentia late Serpilla et grauiter spirantis copia thymbrae.* Sed nihil hunc locum ad definiendam verbi vim facere existimo, eumque explicandum

 po-

potius: valde olentia. Vt vt eſt, nolim ego e paſtore audire, allium et ſerpillum eſſe herbas male olentes. Verum haec hactenus. Sit autem haec particula ſpecimen maioris operis de poeſi Bucolica.

EXCVRSVS II.

De Ecloga Virgilii quarta. Coniectura, quomodo acciderit, vt inter profanorum et ſacrorum ſcriptorum verba ſaepe magna ſimilitudo eſſe videatur.

Nemo facile erit, quin, lecta interpretatione loci Sibyllini a *Guilielmo Alabaſtro*, deae neſcio cuius, Pythiae certe alicuius, in cerebello hominis nidulantis, ope excogitata, ingenium dicam, an ſtuporem? interpretis ſuauiter irrideat. Nam, quae Sibylla Erythraea, *in Libr. III.* canit, certe ceciniſſe dicitur, et quorum particulam huc transferamus: (neque enim belli ſunt verſiculi, et digni muliercula iſta.)

Ἐκ δὲ σεβαστηνῶν ἥξει Βελίας μετόπισθεν,
Καὶ στήσει ὀρέων ὕψος, στήσει δὲ θάλασσαν,
Ἠέλιον πυρόεντα μέγαν, λαμπράντε σελήνην,
Καὶ νέκυας στήσει καὶ σήματα πολλὰ ποιήσει
Ἀνθρώποις. ἀλλ᾽ οὐχὶ τελέσφορα ἔσσετ᾽ ἐν αὐτῷ, etc. etc.

ea iſte Alabaſter ſic expoſuit: *Ex Auguſtinianis, qui religione reguntur Auguſtini, veniet Lutherus, poſtquam poſtpoſitus eſt in indulgentiarum praepoſitione. Et ſiſtere conabitur regularum permiſſarum ſubordinationem: ſiſtere etiam conabitur diſpoſitionem Laicae politicae. Veritatis illuminatorem praecipuum, errorum cenſorem magnum, et docendo ſubordinatam literarum diſciplinam et caſtitati deuotas ſiſtere conabitur et argumenta multa faciet Proteſtantibus —*

bus — At ohe! iam ſatis eſt. *δότε μοι λεκάνην.* Quae quidem etſi febriculoſi hominis, nimium amantis Sibyllam ſuam, pulcellamque virgunculam exoſculantis, ſomnia eſſe omnes intelligunt, non deſunt tamen, qui in *Ecloga IV.* Virgilii, cuius initium:

Sicelides Muſae paullo maiora canamus,

explicanda eandem viam ineant. Quid enim peruulgatius eſt, quam poetam in illo carmine de diuino generis humani ſeruatore loqui? Nondum autem nos poenitet eorum, quae in *Actis Erudit. Lipſ. a. 1759. menſ. Aug.* contra Cl. Angelum Floerchen, licet paullo triſtius, quam nunc volumus factum eſſe, ſuper hoc argumento diſputauimus. Si quis velit aliorum ſententias cognoſcere, praeter laudatos a Burmanno ſcriptores, memini hoc argumentum tractare alios, vt Boeclerum in *diſſert. de bucolico Virgilii quarto Argentor. 1661.* Frid. Bened. Carpzouium in *diſſert. de Publii Virgilii Maronis Ecloga quarta, Lipſ. 1669.* Tob. Eckhardum in *non Chriſtianorum de Chriſto teſtimoniis c. 2. ſ. 17.* Guil. Whiſtonum in libro: *a Supplement to the litteral Accomplishement of Scripture-Prophecies. Lond. 1725. diſſert. III.* Io. Maſſonum in diſſertatione affixa Eduardi Chandleri libro: *a vindication of the Defence of Chriſtianity from the Prophecies of the old Teſtament etc. Lond. 1728.* Io. Marthyn in *the Bucolicks of Virgil with an Engliſh Translation. Lond. 1749.* Digna ſunt prae aliis, quae expendantur, ea, quae diſputauit Lowthius in libro pulcherrimo *de poeſi Ebraeorum Sacra: Prael. XXI. p. 427.* quo libro Germaniae donato, atque ita donato, vt multa et praeclara ornamenta liberaliter adderet, quantum ſibi omnes verae doctrinae ſtudioſos deuinxerit illuſtris Michaelis, dicerem, niſi et illius modeſtia noſtras

ſtras laudes reſpueret, et me, de quo ille immortaliter meritus eſt, tacite potius admirari illarum virtutum praeſtantiam, aut iis priuatim commemorandis mihi et amicis ſatisfacere, quam palam eas praedicare debere exiſtimarem. Ego facilius multo eſſe puto, quomodo non, quam quomodo illud carmen explicandum ſit dicere. Quare et eos, qui Chriſti natales hic inueniunt, errare dicere audeo, et me, vtrum de Marcello, an de alio quoquam poeta loquatur, neſcire profiteor. In primis vero in legendis Graecorum et Latinorum auctorum libris hanc cautionem adhibendam eſſe arbitror, ne ob ſimilitudinem quandam cum ſacris ſcriptoribus myſteria neſcio quae fingamus, et quomodo ea aut ſcribere aut cogitare potuerit auctor, operoſius diſputemus.

Iudicanti enim de talibus duo conſideranda eſſe duco. Primum placent mihi valde, quae beatus Gesnerus in *Prolegom. ad Claudian. p. 6.* dicit: *An fortaſſe plus interdum ſit*, inquit, *in illius verſibus, quam ipſe ſciret, per diſciplinam, diſputationem, cauſas cognouiſſet? Fieri quidem poteſt, vt poeta aliquis εὐφαντασίωτος praeſertim, vt noſter, dum quae ſunt νοερὰ etiam αἰσθητὰ vult facere, et contrectanda velut praebere ſenſibus, dum in partes ſe omnes vertit et liberum ſpiritum nunc ad ſuperos euolare patitur et magnum inane percurrere, nunc praecipitat ad inferos, in eas incidat vel cogitationes vel imagines, in quibus plus ſit veri, quam ipſe primo intuitu obſeruaret, vel poſtea inde elicit.* Atque etiam nihil verius eſt, quam poetam qui illud operam dat, vt quam clariſſime aliquam rem exponat, omnibus ornamentis ornet, et venuſtiſſimis coloribus, vt ita dicam, pingat, atque hac de cauſa to-

tam

tam rerum naturam pererrat, vndique, quae placeant, decerpit, optimis imaginibus perite vtitur, illum igitur poet in facile ea proferre, quae iam aliquis, siue sacrorum, siue profanorum, scriptorum dixerit, etsi ille horum carmina nunquam attigerit. Fortasse haec obseruatio ad Eclogam Virgilii rectius explicandam facit, praesertim si, quod fere suspicor, poëtam Hesiodeam aureae aetatis descriptionem ante oculos habuisse dicamus. Sed venit etiam mihi alia coniectura in mentem, audacula forte, sed tamen non destituta veritatis specie. Magnam partem eorum locorum, quae, quod attinet ad verba, ad orationem sacrorum scriptorum propius accedunt, puto deberi ingenio monachorum. Nam his codices describentibus obuersata fuisse verba propria Christianae religionis, atque pro veris lectionibus substituta et intrusa, iam alio loco ostendimus, quae nunc repetamus et aliis exemplis augeamus. Apud Theophrastum in *Character. c. 6.*

ὣς συνηχεῖν αὐτοῖς τὴν ἀγορὰν καὶ τὰ ἐργαστήρια: ridiculam habet aliquis codex lectionem, *μοναστήρια*, e boni monachi cerebello natam. Didymi Scholiis ad *Il.* Γ. *365.* legitur: *οὕτως σωφρονοῦσιν οἱ ἐθνικοὶ, οἱ ἄθεοι, καὶ ἡ ψευδώνυμος καὶ εἰδωλολατρεῖα σοφία*, quae a Christiano addita esse, et facile apparet, et recte animaduertit Iac. Rhoer in Feriis Dauentriens. *l. 1. c. 12.* Apud Quintilianum *V, 14. 13.* pro *omnes volunt beatam vitam viuere* habent quidam libri *videre*, vbi Cl. Gesnerus adscribit: *ex sacro sermone monachis familiari.* Duo porro exempla profert D'oruillius ad Chariton. *p. 192.* primum ex ipso Charitone *p. 31.* vbi monachum scribentem: *κύριος γὰρ εἰμι, καὶ ἐξουσίαν ἔχω αὐτῆς*, putat in animo habuisse illud: *ἐγὼ εἰμι κύριος ὁ θεὸς σου.* Denique in An-

 thol.

thol. Epigr. vett. *L. II. ep. 68*, 4. pro *ſed terras omnes impleuit nomine claro*, monachi, ait Burmannus, inuexerunt in codicem: *ſed terram omnipotens etc.* Acute etiam Heumannus ad Cic. orat. ad Quirit. poſt redit. *1. 8. ipſa autem patria, dii immortales, dici vix poteſt, quid caritatis, quid voluptatis habet*, ſuſpicatur, formulae ethnicae, *dii immortales*, grammaticum quempiam Chriſtianum hanc in margine ſubſtituiſſe, *dici vix poteſt.* Nolim tamen ego, quamuis ingenioſam hanc coniecturam eſſe non negem, duo verba eiicere. Mutarem potius *habet* in *habeat.* Sed videamus certiora. In *Cornel. Nepot. Ageſil. III, 5. cum animaduerteret deorum numen facere ſecum*, notat Heuſingerus, codicem Axen. habere: *vnius numen*, e gloſſa religioſi hominis, qui non deorum, ſed vnius dei numen agnoſci voluerit, ſeque ſimile idque inſigne exemplum protuliſſe addit ad *Iuliani Caeſar. p. 142.* qui liber nunc non ad manum eſt. Apud Aeſchylum *Agamemn. 171.* Scholiaſtes notat: τοῦτο δὲ ὅμοιόν ἐςι τῷ, Ἐμνήϑην τοῦ ϑεοῦ καὶ εὐφράνϑην. Stanleius putat hinc apparere, ſcholiorum auctorem fuiſſe Chriſtianum. ego potius credo, librarium fuiſſe monachum, qui hunc pannum attexuit. Apud Ouidium *Amor. I, 5.* in carmine non ſeueriſſimo: *Aeſtus erat mediamque dies exegerat horam:* notauit Burmannus in priſcis editionibus eſſe: *Feſtus erat*, et tam hanc lectionem Naſoni a monacho obtruſam fuiſſe, quam *II, 9. 51. Si tamen exaudis pulchra cum matre rogantem*, cum *audire* magis Latinum ſit. Idem non ſemel obſeruauit vir doctus in commentario Seruii in Virgilium. Nam ad *IV, 301. commotis excita ſacris*, notatum legitur: *hoc vulgo apertiones appellant*, vbi recte monachi manum ſibi deprehendiſſe videtur, nam apertionis myſterium fuiſſe ceremo-

moniam conſtat, qua ſacerdos accedentis ad baptismum nares et aures tangeret, dicens: *epheta*, id eſt, adaperire. Denique *IV*, *201. Excubias diuum aeternas etc.* legitur in commentario Seruii: *quod ſignificat, ſine intermiſſione fieri ſacrificia, atque excubare per diem et noctem, vt dicimus, cotidie in officio eſſe.* haec vltima recte dicit Burmannus gloſſam monachi ſapere, qui de miſſa, excubiis, lectionibus et cantibus eccleſiae Romanae cogitauerit, quae omnia *officii* nomine appellentur. Denique apud Thucydidem *III*, *83.* καὶ τὰς ἐς σφᾶς αὐτοὺς πίστεις οὐ τῷ θείῳ νόμῳ μᾶλλον ἐκρατύνοντο, ἢ τῷ κοινῇ τι παρανομῆσαι, Waſſius in praefat. Ducker. τῷ θείῳ νόμῳ a Chriſtiano Scholiaſta introducta eſſe coniicit, et verius Dionyſium Halic. legere τῷ θείῳ καὶ νομίμῳ. Ex his apparere credo, ſaepius librarios ſubſtituiſſe verba e Chriſtianae religionis doctrina repetita. Atque in iis locis, vbi ſententia aliquantulum ad orationem ſacrorum ſcriptorum acceſſit, facillime illis horum verba in mentem veniſſe, et ſaepe, praeter voluntatem fortaſſe, pro profani auctoris verbis poſita eſſe puto. Quid ſi igitur bona pars eorum locorum, quorum ſimilitudinem cum aliis ſcripturae ſacrae locis admiramur, non tam ipſis auctoribus antiquis, quam librariis Chriſtianis debetur? Nam ſi iis in locis eorum manum deprehendimus, quae nihil memorabile habent, quanto magis nihil tale cogitantes neque fraudem meditantes, errare potuerunt, vbi ſimilitudo aliqua ſententiarum iis verba Scripturae in memoriam reuocauit, et, vt fieri ſolet, in rebus nobis notis, manus non attendentis diligenter ſatis monachi ea ſcripſit, quae deinde neque potuit delere, neque voluit. Hos igitur aut nimio ſtupore, aut pietate plerumque, certe non data opera, peccaſſe arbi-

 tror.

tror. Sunt vero exempla, vbi clare apparet, a Christiano homine aliquid additum fuiſſe. Sic ea fabulae Aeſopicae concluſiuncula, quam ἐπιμύθιον dicunt, ὁ μύθος δηλοῖ, ὅτι κύριος ὑπερηφάνοις ἀντιτάσσεται, ταπεινοῖς δὲ δίδωσι χάριν, quaeque prope abeſt ab illis Salomonis in *Prou. c. 3.* aut Maximo Planudi, cuius ingenio tantum non omnes Aeſopi fabulas deberi puto, aut Chriſtiano alicui ſcriptori eſt tribuenda. vid. Fr. Vauaſſor *de ludicra dict. p. 23.* Haec etiam verba, περὶ τούτοις παῦλος ὁ ταρσεὺς, ὅντινα καὶ πρῶτός φημι προιστάμενον δόγματος ἀναποδείκτου, quae Longino tribuuntur in codice Vaticano Euangeliorum, vbi poſt nomina oratorum ſummorum, Lyſiae, Aeſchinis, Ariſtidis, aliorum illa ponuntur, (vid. in edit. Pearcii maiori *p. 159.*) a Chriſtiano eſſe profecta, fere aſſentior Fabricio in *Bibl. Graec. L. IV. c. 31. p. 445.* vide tamen Guil. Smith in prooemio verſionis Anglicanae Longini *p. 22.* Et putauit fortaſſe aliquis, ſe hanc fraudem eo facilius facere poſſe, quoniam iam Moſes a Longino in *cap. IX.* laudatur. Non auſim equidem dicere, quae loca corrupta eſſe exiſtimem. Sed fortaſſe alii hac coniectura noſtra ad quasdam difficultates tollendas tenebrasque diſpellendas vti poterunt. Eclogam autem Virgilii, vt eo redeam, omnino incorruptam eſſe puto, quod ideo moneo, ne quis me illam a librario deprauatam exiſtimare ſuſpicetur. Videtur hoc in fatis Virgilii fuiſſe, vt lepidos interpretes nanciſceretur. Nam et Gallus quidam Faydit, *Georg. I. extr.* vbi, quae ante et poſt necem Caeſaris acciderunt, portenta narrantur, Virgilium defectum ſolis, qui moriente Domino noſtro et Deo, Chriſto, obſcuratus fuit, indicare putauit, et in *Ecl. VIII. 73. 74. 75.*

Terna tibi haec primum triplici diuerſa colore,
Licia circumdo, terque haec altaria circum,
Effigiem duco: numero deus impare gaudet,

doctrinam Chriſtianorum de trinitate latere odoratus eſt homo emunctae naris: (*Fabric. Bibl. Lat. T. II.*) et ne de Chriſtoph. Landini *Allegoriis Platonicis*, quarum ope Aeneida explicuit, aliquid dicam, Io. Harduinus in Aeneide, id eſt, opere e monachorum officinis prolato et impio praeterea atque inſulſo, victoriam Chriſtianae religionis de Iudaica, receptis Romae, poſt templi Hieroſolymitani euerſionem, Chriſtianis ſacris, cani ſomniauit, dignus, vel hoc ſolo nomine, honeſtiſſimo, quo eum Bandurius ornauit, elogio. (*)

EXCVRSVS III.

Virgilii Eclogae illuſtrantur, explicantur, emendantur.

Ecl. III, 50. Audiat haec tantum, vel qui venit, ecce Palaemon) Locum diſtinguo et interpretor ſic: *Audiat haec tantum vel* — ſed dum ipſum nomen arbitri pronunciare vult paſtor, Palaemonem aduenire videt: ideo ſtatim addit: *qui venit ecce Palaemon.* Sentisne hanc interpretationem maiorem loco venuſtatem conciliare? propius enim accedit ad ſermonem vulgarem.

Ib. 64. Malo me Galatea petit, laſciua puella,
Et fugit ad ſalices et ſe cupit ante videri.

Huius loci incredibilem ſemper venuſtatem eſſe credidi, eumque multas poetas imitatione expreſſiſſe obſeruaui, inter quos ipſis poetae veſtigiis inſiſtere memini Angelum Politianum, qui illa ſic mutauit:

 Aureo-

(*) *le Pere éternel des Petites-Maiſons.*

Aureolo petit hunc pomo laſciuaque currit
Ad ſalices Nymphe, furtiuo prodita riſu.

Niſi Politianus hanc imaginem a Virgilio et Horatio expreſſiſſet, et inueniſſet ipſe, ſuperatum eſſe Virgilium faterer. Sed videamus, quid alii egerint. Ita autem Horatius *I*, *9. 21.*

Nunc et latentis proditor intimo
Gratus puellae riſus ab angulo,
Pignusque dereptum lacertis
Aut digito male pertinaci.

Animaduerti praeterea duo in eiusdem carminibus ſimilia loca; primum *II*, *12. 25.*

Dum flagrantia detorquet ad oſcula
Ceruicem, aut facili ſaeuitia negat,
Quae poſcente magis gaudeat eripi,
Interdum rapere occupet.

vbi quam venuſta eſt illa *facilis ſaeuitia!* deinde *I*, *6*, *17*.

Nos conuiuia, nos praelia virginum
Sectis in iuuenes vnguibus acrium
Cantamus.

quo in loco explicando miror quomodo viri docti haerere potuerint. Virgines, dicit poeta, vnguibus antea reſectis inuolare in faciem iuuenum, eorumque proteruitatem his armis, hac vi, non vera, ſed iocoſa, repellere videri velle: non vere eos laedere, non vulnerare, non fugare et auertere cupere puellas, ſed ſpeciem tantummodo pugnantium praebere. Progrediamur ad patrem amorum, qui in Arte *I*, *483*. haec habet:

Forſitan et primo veniet tibi littera triſtis
Quaeque roget, ne ſe ſollicitare velis.

Quod

Quod rogat illa, timet, quod non rogat, optat, ut instes,
Insequere et voti postmodo compos eris.

atque eodem libro *v. 663.*

Quis sapiens blandis non misceat oscula verbis?
Illa licet non det, non data sume tamen.
Pugnabit primo fortassis, et, improbe, dicet,
Pugnando vinci sed tamen illa volet.

idemque paullo pòst. *v. 673.*

Vim licet appelles, grata est vis ista puellis,
Quod iuuat, inuitae saepe dedisse volunt.

Eandem elegantiam sectatus assecutusque est Tibullus, *I*, *4. 53.*

Tunc tibi mitis erit, rapies tum cara licebit
Oscula: pugnabit, sed tamen apta dabit.
Rapta dabit primo, post offeret ipsa volenti,
Post etiam collo se implicuisse volet.

atque, *I*, *9. 43.*

Saepe insperanti venit tibi munere nostro
Et latuit clausas post adoperta fores.

quod Bruckhusius recte meliusque Vulpio interpretatur: Latuit tanquam, quae nollet reperiri, quum tamen id vel maxime cuperet. Praetereo alios e recentioribus, inter quos huius venustatis studiosus fuit Heinsius in *Sylu. p. 218. ed. Lugd. a. 1606.* Sed maneamus in antiquis. ex his Apollonius canit: *Argon. III, 1021.*

Ἄμφω δ᾽ ἄλλοτε μέν τε κατ᾽ οὐδενὸς ὄμματ᾽ ἔρειδον
Αἰδόμενοι. ὅτε δ᾽ αὖτις ἐπὶ σφίσι βάλλον ὀπωπὰς
Ἱμερόεν φαιδρῇσι ὑπ᾽ ὀφρύσι μειδιόωντες.

quibus quid potest elegantius esse? Loquitur vero de Iasone et Medea. E Graecis memini mollissime dicere Achillem Tatium, *L. I. p. 39.* τὸ γὰρ ἐραστοῦ φίλημα πρὸς ἐρωμένην, θέλουσαν μὲν παρέχειν, αἴτησις

τησις ἐςὶ σιωπῇ, πρὸς ἀπειθοῦσαν δὲ ἱκετηρία. Κἂν μὲν προσῇ τις συνθήκη τῆς πράξεως, πολλάκις δὲ καὶ ἑκοῦσαι πρὸς ἔργον ἐρχόμεναι θέλουσι βιάζεσθαι δοκεῖν, ἵνα τῇ δόξῃ τῆς ἀνάγκης ἀποτρέπωνται τῆς αἰσχύνης τὸ ἑκούσιον. et pariter Ariſtaenetum *L. I. ep. 12.* Λεκτέον δὲ μόνον ὡς ἀντιλέγει τοσοῦτον, ὅσον ἐν τῷ βραδύνειν αἱρεθεῖσαι, vbi Mercerus ſimilem Ouidii locum adfert:

Quae cum ita pugnaret, tanquam quae vincere nollet,
Victa eſt non aegre proditione ſua.

ſed ſat multa contulimus exempla ad illam Virgiliani loci elegantiam illuſtrandam explicandamque.

Ecl. V, 40. inducite fontibus vmbras.) Quoniam vnus codex *frontibus* habet, venit mihi noua huius loci interpretatio in mentem. Nempe interpretor eum ſic: cingite frontem ſertis, aut, imponite capiti triſtes cupreſſos moeroris dolorisque ſignum. Virgilius, ſiue Mopſus, mortem amici deplorat. Quare non video quam bene dici poſſit, arbores, quae fontes inumbrent, vel ramos frondentes eſſe ponendos, vt explicant. Neque meliora ſunt, quae habet Seruius. Longa denique alia ratio eſt loci, quem huc non pertinere puto, in *Ecl. IX, 19.*

Quis caneret Nymphas? quis humum florentibus herbis
Spargeret? aut viridi fontes induceret vmbra?

Frontem non male de toto capite dici, firmant exempla Ouidii, *Art. I, 223. praecinctus arundine frontem*, et *Faſt. VI, 321. Turrigera frontem Cybele redimita corona*, atque Horatii, *I, 1. Doctarum hederae praemia frontium. Vmbram* de ſertis optime arbitror dici, conſideratis exemplis ſimilibus a Gronouio

nouio allatis in *Obſ. L. IV, 18.* et Burmanno ad *Ouid. Metam. III, 665.* vbi pro *racemiferis frontem circumdatus vuis* etiam Schol. Statianus exhibet, *vmbris.* Laudatur ibi etiam Virgil. *Aen. VI, 772. Atque vmbrata gerunt ciuili tempora quercu.* et ſic equidem intelligo locum Aeſchyli in *Sept. c. Theb. 390.* Τρεῖς κατασκίους λόφους σείει. De verbo denique *inducere* pro tegere vide, quae notauerunt Heinſius ad *Ouid. ex Pont. IV, 12. 32.* et *Metam. IV, 408.* Burmann. ad *Virg. Ecl. IX, 19.* et Oudendorpius ad *Lucan. IV, 132.*

Ib. 36. Candidus inſuetum miratur limen olympi.) Illa confuſio inter *limen* et *lumen* omnino frequentiſſima eſt. vide ad *Ouid. Triſt. IV, 4. 45.* Drakenborch. ad *Liu. X, 23. 12.* et Cl. et eruditiſſ. Corn. Val. Vonckium in *Spec. Critic. p. 27.* ſed hoc loco praefero omnino *lumen*, quod eſt in quibusdam codd. Videtur melius conuenire τῷ *inſuetum.* nondum inquit tantum luminis ſplendorem vnquam expertus eſt Daphnis. Quemadmodum, qui ex obſcuro loco repente in ſolem prodit, non ferre poteſt lumen, ad ſplendorem conniuet, (σκαρδαμύττει) ita etiam Daphnis etc. Intelligisne quid velim? Caeterum probe noui *limen* dici ſaepe poetis de ſuperis et inferis locis, neque πύλας ᾅδου ignoro. vid. Elsnerus ad *Matth. XVI, 18.* Alberti in *Obſeru. p. 111.* Alb. Schultenſius ad *Iob. p. 433.* Cl. Rhoer in *Miſcell. L. I. c. 20.*

Ecl. VII, 52. quantum Aut numerum lupus aut torrentia flumina ripas.) Exponunt: lupum etiam numeratum pecus inuadere, quod prouerbium notum eſt, atque etiam in vernaculum ſermonem tranſiit.

Sed

Sed nescio an bene hic sensus huic loco conueniat. Malim *numerum* interpretari multitudinem ouium. nam talem significationem etiam τὸ *numerus* habere docet Heinsius ad *Ouid. Met. VII, 8.* et *ex Pont. II, 9. 60.* atque idem et Burmannus ad *Epist. VIII, 24. Nec numerum Danai militis*, vbi alii libri habent *numeros.* sensus est: non magis frigus Boreae curo, quam lupus magnum gregem curat, quam timet multitudinem ouium.

Ecl. X, 46. Tu procul a patria (nec sit mihi credere) tantum Alpinas, ah dura, niues et frigora Rheni Me sine sola vides.) Si interpretationes virorum doctorum, quas Burmannus collegit, examinaueris, videbis eas esse coactas omnes praeter Heumanni expositionem. Ego puto verba, *nec sit mihi credere tantum*, esse coniungenda, et ita exponenda: dummodo ego hoc non credere deberem: si modo haec non vera essent. De hac rariore verbi *tantum* significatione vide Marium ad *Ouid. Am. II, 15. 18. Tantum ne signem scripta dolenda mihi* et Douzam ad *Remed. 714. Tantum iudicio ne tuus obsit amor.*

XI.

De Friderico M. postgenitis caro. Programma nomine Academ. Halensis scriptum et orationi sequenti praemissum.

In hac omnium bonorum alacritate ciuiumque laetitia, gratias agentium Dei benignitati Regisque sapientiae, gratulantium inter se sibi suisque nouam auspicatissimoque coniugio patriae conciliatam felicitatem,

tem, et dulce certiſſimae ſpei pignus animo complectentium cupidiſſimo, geſtit quoque Academia Fridericiana, proſtrata animo atque cogitatione ante ſolium Regis Inuicti, ſacram purpuram e longinquo adorare, gratulari Patri Patriae nuptias amabiliſſimi e Diuo Fratre Nepotis, Friderici Wilhelmi, cum exoptatiſſima ſponſa, Eliſabetha Chriſtina Vlrica, vota nuncupare pro ſalute Domus Auguſtae, qua publica felicitas continetur, piisque precibus omnia a Deo immortali Friderico expoſcere et impetrare, quae Sapientiſſimo, Fortiſſimo Feliciſſimoque Regum precari fas eſt. Intelligit enim non ſine ſuauiſſimo ſuae felicitatis ſenſu, quantum admirabili ſapientiae Regis Magni, incredibilique, qua ciuium ſalutem complectitur, amori et curae debeat, defenſisque fortiter finibus, pace reſtituta, tranquillitate et libertate publica firmata, totque aliis rebus prudentiſſime conſtitutis, maximum hunc cumulum Optimum Regem iis, quorum numerus iniri non poteſt, beneficiis addidiſſe videt, et felicitatis futurae illiusque ad liberos noſtros poſterosque propagandae fundamenta poſuiſſe firmiſſima. Non ſatis habet patriae amantiſſimus Rex, nobis omne, quam bonorum regum ſimiliumque Friderico imperium praeſtat, felicitatis genus conciliare: nepotum etiam ſaluti proſpicit, terras ſuas omni tempore beatas, aureamque hanc aetatem, qua nomen BORVSSICVM CVM ADMIRATIONI toti terrarum orbi, tum terrori hoſtibus, atque praeſentiſſimo auxilio amicis eſſe gloriamur, aeternam eſſe iubet. Hoc vero animo quid amabilius, aut quis hoc Rege ciuium amantior cogitari poteſt? huic prouidentiae quae gratia referri? Habenda certe eſt, quantam maximam animi noſtri capiunt.

Vtamur laeto mentis augurio: excitati futurae felicitatis fiducia praecipiamus posteritatis salutem, quibusque olim nepotes diem, quo Fridericus Wilhelmus et Elisabetha Christina manus iunxerunt, precibus celebraturi sint, ita nobiscum consideremus, vt solemus ea contemplari, quae oculis cernimus. Immensam laetitiae gratulationisque materiam inueniemus, plenique bonae spei et animi non iucundioribus cogitationibus tam fausto die nos immorari posse fatebimur. Nam si animum hominis beati et affluentis omnibus bonis nihil magis angit, aut incerta dubiaque spe futuri, aut alterius fortunae metu, qui omnem voluptatem minuit extinguitque: si nemo est adeo illiberali atque inhumano ingenio, nisi ille a natura desciuerit omnino sensumque omnem humanitatis amiserit ex animo, qui posteritatem nihil ad se pertinere credat, et praesenti felicitate contentus futurorum temporum salutem, spes, gaudia, metus et calamitates nec prospiciat, nec curet, solaque sua voluptate humani generis salutem metiatur: si denique eo suauius bonis nostris afficimur, quo certius horum quasi haeredes fore praeuidemus liberos nostros, quique ab illis nascantur, nonne nos, qui Fridericum Magnum alteri seculo prosperitatis et tranquillitatis auctorem esse et fore intelligimus, omnibus laetitiis incedamus? Effecit Ille, rebus praeclarissime gestis, vt honorificentissimis, quae antiqua et recentior aetas bonis principibus imposuit, nominibus ornandus, vt Pater Patriae, Iustus, Constans, Magnanimus, Inuictus appellandus esset. Sed haec tamen omnis laus Illi communis est cum pluribus, magna ea quidem, immortalis omnibusque seculis celebranda, sed tamen communis cum aliis. Ipsum illud Magni cognomen, quod nemo maiori vnquam iure

meruit,

meruit, partum Friderico tot victoriis et triumphis, datumque ob eam, quae Illi diuinitus ad amplitudinem, ad gloriam, ad res magnas bene gerendas adiuncta fuit, fortunam, tamen alii quoque aut arrogauerunt sibi, aut ab hominum, ad voluptatem omnia loquentium, leuitate delatum acceperunt. Quod vero posteritatis quoque animos sibi deuincit, quod CARVS POSTGENITIS statuis subscribi debet: haec propria est Friderici Magni laus: hoc nomen nulli principum adhuc datum, quo licet multa splendidiora sint, nullum tamen dulcius et iucundius.

Liceat nobis sine sacrilegii metu augustas aedes intrare et morari paullum in illo, vnde publica felicitas emanat, lateque diductis riuis per terras Borussicas diffunditur, sapientiae templo, vbi praesentiam numinis non sine sacro quodam horrore sentimus, excubantemque pro nostra salute prouidentiam adoramus. Iuuabit olim ibi Fridericum adspicere, illum hostium, multitudine innumerabilium, locis infinitorum, omnique copiarum genere abundantium, victorem, Germanae libertatis vindicem, Regem inuictum, numerosa nepotum prole cinctum et blando vultu spem patriae totque hominum delicias intuentem. Quantum putamus hoc adspectu recreatum iri senectutem crudam et viridem, quae hoc quasi praemium habebit vigiliarum, curarum, periculorum, itinerum, solatiumque iucundissimum, vt efflorescentes ad Brandenburgicae Domus gloriam iuuenes complectatur, generosamque Augusti Wilhelmi indolem in iis agnoscat? Quantam censemus ad tenellos animos excitandos vim habituram esse orationem Friderici senis, suo exemplo docturi, quam di-

gna ſit rege magnitudo animi, quantam laudem mereatur inuicta conſtantia, quanta admiratio ſequatur intrepidam fortitudinem, quam amabilem principem reddat amor iuſtitiae, litterarum, ciuium. Immo iuuabit Fridericum videre conſilia agitantem cum Wilhelmo et Eliſabetha de educatione Boruſſicae iuuentutis Principum, adhibere idoneos formandis animis viros, diligenter curare omnia, quae tanti imperii haeredes ornent, dignosque ſummis maioribus efficiant. Maximo vero Regum, et, ſi humana conditio pateretur, immortalitate digniſſimo, poſt longiſſimam plurimorum annorum ſeriem (audi Deus votum!) ad cognata ſidera recepto, quantum felix Boruſſia in Friderico Wilhelmo ardorem laudis, acerrimumque ſtudium perſequendi veſtigia maiorum admirabitur! Agnoſcet filium Auguſti Wilhelmi, cui vtinam licuiſſet per fati acerbitatem taedas has nuptiales adſpicere hilaresque gratulantium ciuium voces audire! (Heu! recrudeſcit optimi Principis morte animis alte impreſſum vulnus, et lacrumabili deſiderio impletur animus. Sed vincamus dolorem, reprimamus luctum, abſtineamusque tam laeto die querelis, quibus iam nihil effici poteſt aliud, quam vt augeatur dolor.) In Friderico igitur Wilhelmo agnoſcet imaginem illorum principum, quorum virtute Brandenburgica Domus in ſummum, quam mortalitas capit, felicitatis faſtigium prouecta eſt. Videbit et ſe videre laetabitur patria veriſſimam matrem ciuium, Eliſabetham Chriſtinam; ſentiet, quo patriam diliget, affectum tenerum: amabit Reginam, in ſocietatem curarum pro ſalute Boruſſorum venturam, ſaluberrima conſilia auguſto Marito daturam aemulaturamque Liuiam, cuius poteſtatem neminem ſenſiſſe fama eſt, niſi aut leuatione periculi, aut digni-

gnitatis acceſſione: Eandem denique Auguſtae prolis curam ſapientem ſuſcepturam, moribus, inſtitutis, verbis, exemplis mentem animumque conformaturam: ipſi vero Wilhelmo multo iucundiorem vitam reddituram, quae adiunctae ſunt principum etiam maximorum fortunae, moleſtias emollituram amoris dulciſſimi frequenti et ſuaui ſignificatione, animumque curis publicis defeſſum recreaturam ſenſuque voluptatis liquidiſſimae perfuſuram, quantum laudabit et praedicabit! Nihil accidet fauſtum et iucundum, cuius cauſa non Eliſabethae quoque gratias habendas eſſe iudicet: nunquam videbit Regem, ſereno animo tot pro populi ſalute curas et negotia ſuſtinentem, quin celebret Reginam, cuius fide, ſuauitate et prudentia imperii onera leuari intelligit: nunquam praeclara virtutum ornamenta in haeredibus obſeruabit, quin, cuius diſciplinae illa debeantur, recordetur. Proponamus nobis poſteritatem mentisque oculis intueamur pium populum, non ſolum intellecturum ſuae fortunae magnitudinem, ſed etiam auctorem illius praedicaturum. Vt exſultabit ille et laetabitur! vt amabit Matrem optimam! quibus votis et precibus celebrabit memoriam d. XIV. Iulii! quas gratias aget Friderico, poſt longiſſimam inter mortales commorationem ad deos regreſſo, quibusque verbis illius ſapientiam et amorem patriae extollet, manantibus ſubinde lacrimis, quae et deſiderium Maximi Regis et gaudii magnitudinem quauis oratione diſertius veriusque indicabunt! Tantam laetandi materiam nobis auſpicatiſſimus hic dies offert, qui Friderico Wilhelmo amabiliſſimam coniugem, Boruſſiae ſapientiſſimam Reginam, ciuibus optimam matrem, a Friderico Magno electam, petitam, impetratam et his terris donatam dedit. Hanc, hanc

ob caussam Ille Patriae Patris et Regis postgenitis cari nomen meruit.

Nec vana nobis haec gaudia fingimus, aut ideo hanc laetitiam perpetuam fore credimus, quia, vt sit, animus noster ea nunquam nos amissuros esse existimat, quae maxime amat, quorumque desiderium se aegre laturum esse sentit. Non fallimur mentis praesagio: non vanam aut dubiam spem concepimus. Primum enim si amorem Friderici erga ciues suos cogitamus, tot saluberrimis legibus, tot praeclaris institutis clarissime demonstratum: si, qua cura diuo Fratre extincto Nepotum commodis prospexerit, quanta diligentia id egerit, vt, cum natura non esset, animo tamen videretur pater, recordamur: si illam, qua Rex Philosophus pollet, de ingeniis iudicandi facultatem consideramus, quae acutissime animos explorat, mores prudentissime cognoscit, dissimulationis integumentis facile quidque euoluit, nec, admirabili sagacitate nixa, plurimo rerum vsu confirmata, Deique, suae maiestatis inter nos vicarium amantis, fauore, adiuta, decipitur et errat: nonne persuadeamus nobis necesse est, talem ab Illo quaesitam electamque esse sponsam, quam Friderico suo Wilhelmo iucunditatem patriaeque felicitatem perpetuam allaturam esse praeuideret? Sed bene habet. Non coniecturis opus est, quanquam certis iis, cum luculentiora felicitatis argumenta adsint. Nouimus Elisabetham Christinam Vlricam: nouimus ingenium, animum, moresque aureos, quos plena pudoris maiestatisque fronte illisque amabilissimum animi vigorem praeclarumque ad omnia magna impetum spirantibus oculis praefert: scimus, praestantissima educatione illam coronae et sceptris praeparatam fuisse:

fuiſſe: tot clariſſimis exemplis cognitum habemus, a Carolo et Philippina Charlotta nihil, niſi magnum et excellens, naſci poſſe. Habet enim hoc Domus Brunſuicenſis, vt, acceptis ab illa diuinarum virtutum Reginis, non exiguam ſuae felicitatis ſe ei debere, Boruſſia fateri debeat, lubenterque fateatur. Dedit Illa Friderico I. Sophiam Charlottam: dedit Sophiam Dorotheam Friderico Wilhelmo: dedit Friderico Magno Eliſabetham Chriſtinam, Piam, Comem, Prudentem, patriaequae amantiſſimam matrem: dedit diuo Auguſto Wilhelmo Louiſam Amaliam, quae nunc laeta intereſt auſpicatiſſimis Filii nuptiis, quarum exoptatiſſimos fructus vtinam quam diutiſſime capiat! Illas vero a nobis commemoratas Reginas quis neſcit totidem eſſe virtutum omnium exempla? Quibus nunc bono omine, modo faueat Deus muneri ſuo! accedit Eliſabetha: hac nobis conceſſa, nouo ſibi beneficio deuinxit Boruſſiam Brunſuicenſis Domus: hac donata, nouo documento Illa oſtendit, ſibi fato datum eſſe, vt Reginas edat, illarumque numine populis felicitatem, gaudium, ſpem, conciliet.

Quae quidem cum ita ſint, bene ſperemus! bene ſperare iubeamus cum omnes, qui nunc viuunt, tum liberos, nepotes poſterosque omnes! Hilari pietate ſacrum et feſtum nobis diem obeamus: agamus dicamusque ea, quae nos bona noſtra non ignorare indicent, animumque pium et fidelem teſtentur. Elegimus interpretem animi noſtri eloquentiae profeſſorem ordinarium, Chriſtianum Adolphum Klotzium, collegam noſtrum, illique mandauimus, vt pietatem noſtram oratione declararet. Hic igitur prouidae Regis benignitati gratias aget, Deumque Optimum

Maximum ſupplex venerabitur, vt huius diei laetitiam perpetuam nobis eſſe iubeat, votis pro tota Domo Auguſta nuncupandis. Dicauimus huic panegyri diem XVII. Iul. pompamque hora X. deducere ad aedem D. Mariae conſtituimus. Significandum hoc duximus omnibus, ſiue illi huius vrbis proceres, ſiue ciues ſint hoſpitesque, pro loco quisque ſuo, honoratiſſimi, eosque ad ſupplicationem Deo immortali publico nomine decretam vocandos. Orare quenquam aut pluribus verbis inuitare eos, quibus haec tabula tradetur, ideo nolumus, ne diffidere videamur cuiusquam pietati gratoque erga Regem animo. Numerabit enim poſteritas mirabunda in iis, quae Friderico *Magni* cognomen impoſuerunt, etiam amorem ciuium, quo ille liberorum erga parentes amor maior eſſe non poteſt. Non orari volumus, non cogi ad declarandam pietatem erga Regem, pro quo quis eſt noſtrum, qui non vitam profundere paratus ſit? Nutu tantummodo et verbo nobis ſignificari cupimus, quicunque aut Boruſſico ſumus ſanguine geniti, aut ſub iuſto, benigno et fortunato tanti Regis imperio requieſcimus, amoris erga Fridericum oſtendendi a fortuna datam eſſe occaſionem. P. P. die XVI. Iulii cIↄ Iↄ c c l x v.

XII. Ora-

XII.

Oratio,

qua Friderico M. nuptias Friderici Wilhelmi, Borussicae iuuentutis principis cum Elisabetha Christina Vlrica, gratulabatur Academia Halensis.

Bene dicendi artem tradere, et, quoties opus esset, publico nomine verba facere iusso ecquod tempus illam prouinciam auspicandi opportunius mihi dari poterat, quam illud ipsum, quo tota haec vrbs in laetitiam effusa plausu et gratulatione personat? quod argumentum orationis a me eligi grauius atque iucundius oblata hac publicae felicitatis et laetitiae commemoratione? quis ad dicendum amplior contingere locus consecrato hoc Deo immortali templo eoque magnifico et digno huius diei splendore apparatu exornato? quae maior auditorum frequentia et praestantia optari hac piorum ciuium multitudine, quorum studiis ipsum coelum fauere videtur, quod posteaquam diu nubibus obductum, triste et turbidum fuit, paucis ante haec sacra diebus large diffuso lumine ridere coepit, et liquidissimam huic pompae deducendae tempestatem indulsit? Supplicationem decreuimus Deo ob singulare illius beneficium, laetisque carminibus concessum nobis eius numine munus celebrandum esse duximus: audimus hilares voces, quibus cura, sapientia, ciuiumque amantissimus animus Patris Patriae praedicatur, quem nos non more et consuetudine, sed summo suo merito et ex animi sententia ita appellare nouo documento patet: toto pectore felicitatem nostram sentimus, quantum-

que Deo debeamus, intelligimus, qui nobis Fridericum Magnum regem et patrem dederit: nec continere possumus volumusque animo, quae tacita concepit pietas, vota. Hoc vnum restabat, quod a Magno suo Rege exspectaret Borussia: hoc vnum partae per eum sibi felicitatis magnitudini deesse querebatur Patria. Perfuncta erat fatali illo et diuturno, quanquam ad immortalitatem memoriae Borussorum nomini gloriosissimo bello: antea multis vndique cincta periculis, impetu hostium represso, explicitam summa Imperatoris maximi prudentia et expeditam se esse gaudebat: illa in conficiendo celeritas, fortitudo in periculis, consilium in prouidendo, illae reliquae imperatoriae virtutes, quas omnis posteritas in Friderico Magno admirabitur, pacem reddiderant et tranquillitatem: tot victoriis reportatis, triumphis actis, tropaeis constitutis, aeterna laurea condecoratus Rex noster redierat. Finito vero illo bello, quod pro defendendis a vastatione regni sui finibus, pro iusta causa, pro conseruanda libertate Germaniae, hominum amantissimus Rex gerere coactus erat, quid videbamus nunc illum agere? quid curare dies noctesque? quae cogitationes in illo debellatore hostium et defensore imperii animo versabantur? Semper sui similis est Fridericus, nec minor pace, quam bello, nec terribilis magis hostibus, quam amabilis suis. Cuius inuictam fortitudinem, animique constantiam, nec innumerabili hostium multitudine fractam, nec totius fere Europae comminationibus oppressam, antea admirata erat patria: illius incredibilem erga ciues amorem, excubantemque labore et consilio pro nobis atque vigilantem animum non poterat non eadem adamare. Nonne enim, quibus praeter Fridericum nemo mederi poterat, vulnera belli sanabat?

quae

quae perculſa et proſtrata, quod non aliter eſſe poterat, belli impetu iacere videbat, excitabat? quam plurima, quae ad ornamenta et emolumenta regni ſui pertinerent, procurabat? Delectamur agrorum antea deſolatorum cultura: adſpicimus colonos ſibi arantes, ſibi ſerentes ſibique metentes, laetas ſegetes et tuto greges noſtros per rura ambulantes: fertilitas et amoenitas locorum, vbi antea milites caſtra poſuerant, oculos allicit: Copia et rerum abundantia redit: gaudemus litterarum et legum honore, reſtitutis reipublicae plurimis, quae bello perdiderat, et ornamentis dignitatis et praeſidiis ſtabilitatis ſuae, commerciorumque expedita ratione: nullus metus, nulli repentini terrores, nullus fletus: omnia tuta, tranquilla, laeta, et, ſi lacrimas videmus, aut exprimit illas amor et pietas erga Fridericum noſtrum, aut elicit matribus adſpectus redeuntium e bello filiorum.

Verum in hac ſumma felicitate et laetitia ſemper tamen angebat patriam ille metus, ne tot tantaque bona, incredibili labore et plurimo ſanguine nobis conciliata, amitterentur. Proſpiciebat illa identidem, vt decet bonos ciues, poſteritatem: conſiderabat ſecum duram mortalitatis neceſſitatem, qua nec maximos reges exemtos eſſe dolemus: quoque feliciorem ſe iudicabat, eo ardentius, vt proſperitatem publicam, quaſi haereditatem, liberis ſuis poſteriſque relinquere poſſet, optabat. Nemo Veſtrum erat, qui non in Friderico Wilhelmo imaginem Magni Friderici et diui Auguſti Wilhelmi agnoſceret, quorum ad ſimilitudinem cum illum ſeſe compoſuiſſe intelligeretis, quoties Deo gratias egiſtis, cuius beneficio hanc Domui Brandenburgicae propriam et perpetuam laudem datam eſſe iudicauiſtis, vt regium ſolium non minus natalium felicitati, quam ſuis virtutibus prin-

cipes inde orti omnes deberent! Haec igitur cum ſentiremus, hoc cum animo eſſemus, illam tantummodo deſiderauimus matrem ſaepe animo, quam a Friderico electam, bonis auſpiciis Friderico Wilhelmo iunctam, terrisque Brandenburgicis donatam ſi adepti eſſemus, nihil tum ad noſtram felicitatem addi poſſe exiſtimauimus.

Quomodo enim reprimeremus deſiderium Matris ciuium, quam non minorem Auguſto Marito iucunditatem, perpetuorum, quos noſtra cauſa exemplo maiorum ſuorum illum ſuſcepturum eſſe praeuidimus, laborum leuamento et ſolatio, quam nobis amore, ſapientia, pietate, reliquisque magna Regina dignis virtutibus praeſtituram eſſe, ſummo iure ſperare nobis viſi ſumus? Optima et fauſta quaeuis nos poſteritati polliceri poſſe credidimus, ſi illud munus deberemus Friderici ſapientiae, quae rerum anteactarum memoria, intelligentia praeſentium, futurarum prouidentia valet, de quaque re optime iudicat, indolem hominum acute perſpicit, ſagaciter virtutes et vitia indagat, quaeque, vt fortitudo bellica Magni, ſic Regis Philoſophi nomen Friderico conciliauit, nec ſapientiae tantum, ſed etiam, qui ab illa nunquam ſeiunctus eſt, nunquam ſeiungi poteſt, innumerabilibus documentis demonſtrato amori patriae. Nihil, ad futurae felicitatis, ad perpetui gaudii ſpem certius laetiusque fieri poſſe videbatur.

Auditae ſunt preces noſtrae: compotes votorum facti ſumus: proſpexit nobis, proſpexit nepotibus noſtris diuina Friderici prudentia. Habet Fridericus Wilhelmus exoptatiſſimam coniugem: ſcimus, quam nos habituri olim ſimus Reginam, omnibus illam virtutibus, quae bene ſperandi laetandique ampliſſimam materiem praebeant, ornatiſſimam: fiduciam his nu-

ptiis

ptiis certiſſimam non ſolum noſtrae felicitatis ſtabilitae, ſed tradendae quoque olim alteri ſeculo, nacti ſumus. Quis nuntius nobis iucundior eſſe potuit hoc: deſponſatam eſſe Friderico Wilhelmo Eliſabetham Chriſtinam Vlricam, dignam patre, Carolo Brunſuicenſi, filiam? Accepimus omen: agnouimus nouum Domus Brunſuicenſis beneficium, et pleni laetitiae bonaequae ſpei futurae felicitatis fundamenta iacta eſſe profeſſi ſumus. Quomodo enim ignorare potuimus, quanta concordia quantusque omnium virtutum concentus cum beneficio naturae, tum bonae educationis conſiliis, Eliſabethae contigerit? quidni animo et cogitatione praeciperemus voluptatem, a coniuge omnibus ſui generis virtutibus condecorata Marito afferendam, fructusque e prudentia Reginae, in laborum curarumque conſortium aſſumtae, in Boruſſiam redundaturos? Acta nunc ſunt omnia: celebratae auſpiciis optimis nuptiae: noſtra, noſtra eſt Eliſabetha Chriſtina Vlrica.

Praeter admirabilem vero Regis ſapientiam, praeter virtutum, quibus Eliſabetha excellit, ornamenta, alia etiam habemus bene ſperandi de his nuptiis argumenta. Nam ſi, qua neceſſitudine inde a plurimis annis Brandenburgica Domus cum Brunſuicenſi coniuncta fuerit, conſideramus: ſi quam amice vtraque Domus conſpirauerit ad communem ſalutem, quaeque mutua amicitiae documenta ſibi inuicem dederit, recordamur, ſi, quae ex hac coniunctione emolumenta in vtriusque regni ciues redundauerint, cogitamus: non ſolum arctiſſimis amorum vinculis principum animos ſemper coniunctos fuiſſe intelligimus; ſed etiam, quantum de hac animorum conſpiratione, concordia, amicitiaque, non noua illa, aut nuper inſtituta, ſed inueterata iam, patriae polliceri poſſimus et

debea-

debeamus, cognoſcimus. Paucos certe ex omni memoria inuenietis principes, qui tot officiis ſe inuicem complexi ſint, tanta fide et conſtantia coeptam amicitiam retinuerint, et cum pacis tum belli temporibus alacrius ſibi mutuam opem tulerint. Lubet paullum his cogitationibus immorari, et priusquam ad iucundiſſimum gratulationis officium redeamus, in memoriam reuocare, quibus coniunctiſſima Domus Brandenburgicae et Brunſuicenſis neceſſitudo declarata eſt, clariſſima et maxima documenta. Quorum quidem enumeratio licet vix maiorem animis noſtris laetitiam addere poſſe videatur, eosdem tamen in certiorem et veriorem, quemadmodum confido, ſpem proſperitatis adducet, ſapientiamque Regis clarius oſtendet, qui ex illa domo Friderico Wilhelmo coniugem petendam eſſe duxerit, cuius amicitia, fides, et generoſa indoles Brandenburgicae domui cognita eſſet et perſpecta.

Cogitantibus amicitiae coniunctionisque neceſſitudinem, quae ſemper Brandenburgicae Domui cum Brunſuicenſi fuit, quid nobis prius hoc die in mentem veniat frequentiſſimis connubiis et affinitatibus, quibus iunctis vtraque domus ſibi inuicem animum et amorem declarauit? Admonent nos et in memoriam reuocant hae nuptiae aeterna Reginarum nomina, quas Domus Brunſuicenſis et Luneburgenſis nobis dedit, quarumque laudes nulla obliuio delebit. Viuit in animis noſtris memoria Sophiae Charlottae, cui filium tanto patre dignum debebat ille Fridericus, qui primus Domui Brandenburgicae diadema regium impoſuit, et magno animo, bonis legibus latis, multis rebus prudentiſſime conſtitutis, ſapientiſſimis de rebus diuinis ſententiis, receptis in regnum ſuum, quos ſaeua ſuperſtitio patria eiecerat, eruditionis amore, hac litte-

litterarum Vniuersitate condita, Sapientis nomen nactus est. Nostis vero illam Ernesti Augusti, Electoris Hanouerani, filiam fuisse. Viuit memoria Sophiae Dorotheae, ex eadem domo petitae, nuptae Friderico Wilhelmo, numerosae prolis foecundissimae matris, testisque cum amoris, quem maritus animo vere paterno sibi conciliauerat, tum tot victoriarum, ope militis, a Wilhelmo collecti, partarum. Viuit et vtinam quam diutissime viuat! Elisabetha Christina, de qua olim posteritatem ita iudicaturam esse scimus, vt dignam Friderico Magno coniugem appellet, qua laude nullam maiorem esse nobis persuasum est. Viuit Louisa Amalia, Diui Augusti Wilhelmi coniux, quae nunc iucundissime adspectu Elisabethae suae afficitur, filiique fortunam laeto vultu, immo humescentibus prae gaudio oculis, praedicat. Vtinam licuisset per fati necessitatem tibi, Auguste Wilhelme, diutius populo Tui amantissimo interesse, et Friderico Tuo coniugem quaerere. Summas in Louisa Amalia virtutes cognouisti, nihilque dulcissimo illius erga Te amore Te suauius affecit. Nemini dubium esse potest, quin Tu quoque ad Domum Brunsuicensem rediturus fueris, et eandem inde Filio tuo voluptatem petiturus, qua ipse incredibiliter laetabaris. Vtinam potuisses Tua manu sponsam Friderico adducere, nuptialia haec sacra oculis videre et commendare tua voce filio coniugem, nobis reginam. Nullius rei tristis memoria turbaret atque imminueret laetitiam nostram, sed augeret illam vultus Tui conspectus, qui nobis animo infixus haeret. Verum inuidit nobis hanc felicitatem fortuna. Discessisti a nobis omnibusque triste tui reliquisti desiderium. Quanquam quidni credamus, Te quoque pro perpetuo Tuo erga nos amore superis nunc adscriptum, deie-

ctis

ctis ad terram oculis, exultantis populi gaudia adſpicere, cum corpore nequeas, animo iis intereſſe, et noſtrae proſperitati quam maxime fauere? Abduxit me paullum triſtis recordatio Auguſti Wilhelmi, cuius ecquod erit tempus vnquam, quo memoria, laus ac fama moriatur? a rei laetiſſimae commemoratione. Non enim omittere debemus, ipſam Philippinam Charlottam, matrem amabiliſſimae noſtrae Eliſabethae, magni noſtri Regis ſororem eſſe, atque Carolum nobis filia ſua data pleniſſime gratiam Domui Brandenburgicae retuliſſe. O admirabilem vtriusque Domus felicitatem, alteri ab altera conciliatam, firmatam et ſtabilitam! O egregiam laudem ab vtraque Domo ſibi inuicem tributam, maiorem illam quouis alio teſtimonio et praeconio! Tot enim ex eadem Domo petitis virginibus iisque conceſſis ſponſorum precibus et votis, cum, quam eximia virtutis indoles illius propria ſit, quamque fauſtis ea ſub penetralibus nutriri ſoleat, quam praeclara diſciplina ibi vigeat, ſummi principes luculenter oſtendunt, tum, arctiſſimis neceſſitudinis vinculis Brunſuicenſem et Brandenburgicam domum coniunctam eſſe, apparet.

Inuiti relinquimus hanc rem, de qua eo lubentius dicimus, quo ſuauius eſt, in eorum temporum memoriam redire, quibus magnum bonum nobis obtigit. Sed reſtant complura alia amicitiae documenta, quae non poſſumus non paucis attingere. Longiorem enim orationem ipſa, qua pleni ſunt animi noſtri, laetitia, impatiens morae et verboſam narrationem detrectans, non admittere videtur. Quare antiqui temporis memoriam praetereo, quaeque illa mihi praebet, amicitiae exempla taceo. Poſſem narrare Ioannem et Ottonem, filios Alberti, Ottoni Brunſuicenſi, quem more iſtius aetatis Infantem appellauerunt, in recu-

peran-

peranda vrbe, Brunſuiga, et ſeditione opprimenda vtilem operam praeſtitiſſe, eundemque Ottonem adfuiſſe illis contra Epiſcopum Halberſtadienſem et Henricum Anhaltinum. Addere poſſem, Ioannis opera inducias factas eſſe inter Albertum Brunſuicenſem et Epiſcopum Hildeſienſem, nec, ſi modo luberet, pauca dici poſſent de animo ducum Brunſuicenſium grato. Quod enim, cum illi cum Epiſcopo Mindenſi pacem foedusque percuterent, et, ſeſe inuicem copiis iuuare et contra communes hoſtes defendere velle promitterent, ſolos Marchiones Brandenburgicos exceperunt, ſeque *contra eos non poſſe cum honore ſtipendia facere* litteris teſtati ſunt, quale hoc quantumque eſt? Ego certe mihi agnoſcere videor amabilem ſimplicitatem antiquorum temporum, praeclarum candorem, bonam fidem, omnibus blanditiis artibusque noſtrae aetatis praeferendam. Amare lubet illum animum, qui nec obliuiſcebatur accepta beneficia, nec ſe dedecere putabat, palam profiteri, ſe memorem eſſe debere, nihilque agere, quod hominis ingrati praeberet ſpeciem. Sed nimis haec omnia propter vetuſtatem remota ſunt a noſtra memoria. Quare ſilentio illa tranſimus. Neque huius loci amplitudo atque ſolemnitas diei ſubtilius nos quaerere patitur, an vera ſit illorum opinio, qui Zollerenſes Comites et Guelficum genus ad vnum eundemque auctorem referant. Facile omni huius diſputationis ſubtilitate caremus, modo ne illuſtria ſummae concordiae et beneuolentiae exempla deſint. Iam vero memoriae proditum eſt, Electorem Fridericum I. foedere cum ducibus Brunſuicenſibus facto Pomeranorum motus compresſiſſe, et fretum eorum iuſtitia, illos arbitros honorarios de rebus, quae in controuerſiam vocarentur, ſumſiſſe: Fridericum II. bellum, quod inter Brunſuicen-

ſes duces et ciuitates maritimas ortum et per tres annos geſtum erat, compoſuiſſe: cum vrbs Brunſuiga, graui tumultu a Duce Henrico diſſideret, Ioannem, qui ob procerum et amplum corpus magnus appellatus fuit, vtriusque partis ardorem exſtinguere ſtuduiſſe. Ibit in ſaecula haec coniunctio et prudentia principum, qui non ſolum armis et vi hoſtes ſubigere, ſed oratione quoque et conſilio eos placare conati ſunt. Quanquam vero hoc illos aliquoties feciſſe audiuiſtis, ſaepius tamen eamdem eos laudem appetiiſſe conſtat. Recordamini diſſenſiones animorum inter Fridericum Wilhelmum II. et Electorem Hannoueranum ortas. Vtroque grauiter indignante iuſtamque irarum ſe cauſam nactum eſſe exiſtimante, diſcordia gliſcebat, et paullo poſt res eo perueniebat, vt acerrimum bellum imminere videretur. Iam loca caſtris capta erant: iam milites conſcripti: tota Germania erecta: ſignum quisque belli exſpectare: omnia plena timoris et ſollicitudinis: ciues trepidare: matres dimiſſos e complexu ſuo filios deflere: omnes, ne triſtiſſimos nuntios acciperent, vereri. Ecce vero domus Brunſuicenſis exemplum a maioribus datum aemulata non internecione ciuium, ſed reconciliatione concordiae diſſenſiones illas exſtinguendas eſſe iudicat. Veniente igitur in partem praeclari negotii duce Gothano, qui Hannoueranam cauſam agit, in vetere gratia reconcilianda omnem operam Brunſuicenſis, omne ſtudium ponit. Contigit exitus, quem omnes optant. Animi antea vehementer irritati iterum placantur: arma manibus deponuntur: copiae dimittuntur: priſtina tranquillitas reſtituitur. Qua vero oratione ſapientiam hanc Brunſuicenſis domus ſatis digne celebremus? Non nego, magnificentius de principe illa dici videri: hoſtes fudit: vrbes cepit: victoriam re-

por-

PRAEFATIO.

Pauca habeo, quae Te, mi lector, ignorare nolo. nam nec vacat nunc multa dicere, nec fortasse operae pretium est, copiosius enarrare historiam eorum, quos hoc volumine contineri vides, libellorum. Consilium scito me cepisse, quaecunque a me adhuc scripta sunt, corrigendi emendandique diligenter, vtinam quoque feliciter! sed hanc gratiam solae iis Musae adflare possunt. Ita fiet, vt et Satyrae, et carmina nostra, et ea, quae ad Criticam spectent, a nobis denuo edantur, si non meliora ea, certe minus vitiosa. nam nec hic liber, qui, quae diuersis temporibus e munerum, quae gessimus, ratione et diximus et scripsimus, habet, mihi omnino probatur. Fateor equidem, multos me inde sustulisse, quos aut mea aut operarum (nam omnes hi libelli iam, suo quisque tempore, prodierunt) incuria fudit, errores: sed nouas quoque virtutes additas fuisse, vere gloriabor? Quae de Horatii felici audacia disputaui, non displicuerunt iis hominibus, inter quos tum versabar: sed eadem mihi nunc perlegenti minus placent multa. Nec laudo omnia, quae de Criticorum moribus olim acerbius paullo scripsi in Epistola, cuius magnam partem resecui.

Quae quidem licet ita ſint, tamen nec deeſſe credo, quae non lubenter te lecturum eſſe mihi perſuaſi. Haec igitur ſi aliquam tibi voluptatem attulerint, gratias habeto generoſiſſimis fratribus de Pilgramm, *qui nunc Vindobonae egregias animi ingeniique laudes, quas et Gottinga in iis amauit, colligunt. Nam vt fuerunt elegantisſimi viri, mei ſemper amantiſſimi: ita et precibus et conſilio et adhortationibus ſuis inprimis effecerunt, vt iam ſepultas puluere et tenebris chartas protraherem, nec moleſtam emendandi operam reſpuerem, quam perpetua eorum cogitatio, quorum voluntati hoc dederam, non ſolum minuit, ſed iucundam quoque interdum reddidit. Vobis igitur, o* Pilgrammii *mei, (nam eſtis profecto mei, quos licet oculis intueri nequeam, animo tamen complector) hunc libellum ita trado et dico, vt illum mei vobis deditiſſimi animi, ſummique, quo vos ob ingenii venuſtatem, doctrinae copiam, animi magnitudinem et probitatem, morum elegantiam et ſuauitatem, veſtramque erga me perpetuam beneuolentiam, proſecutus ſum, et, dum viuam, proſequar, amoris teſtimonium certiſſimumque pignus eſſe haberi cupiam. Scr. Halae Saxonum, d. VI. Sept. a. C. 1765.*

INDEX

rum cum difficilius ſit huius orationis exitum, quám initium inuenire, pauca tantummodo de coniunctis Boruſſicis et Brunſuicenſibus copiis dicam.

Proponite vobis ante oculos A A. faciem terrarum Brunſuicenſium et Luneburgenſium, a Gallico milite, cuius non virtuti, ſed numero cedebant Brunſuicenſes, oppreſſarum. Omnia plena ſunt copiis Gallicis: vrbes complures captae: fortiſſimi Imperatores nihil contra infinitum numerum hoſtium ſuorum robur efficere poſſe iudicant: re fruſtra tentata, ad ſummas anguſtias foedere coniunctae copiae rediguntur: immo ab hoſte elato ſecunda fortuna et ferociente ad deditionem fere perpelluntur. Hic cui exercitus Brunſuicenſis ſalutem ſuam debebat? quem ſeruatorem liberatoremque omnes ciues appellabant? Fundamenta melioris fortunae iacta eſſe omnes fatebantur a ſimili Friderico Magno et digno tanto Rege fratre (ampliusne quidquam ad ſummi principis laudem dici poteſt?) Henrico, qui poſt Gallicam Halberſtadii depopulationem hoſtem non ſolum his regionibus, ſed paullo poſt quoque Guelpherbyto et Brunſuiga eiecit. Quis tum animus vobis erat, liberatae hoſte vrbes, cum videretis Seruatorem veſtrum ad vos venire? Quanta alacritate victrices vbique Henrici cateruas complectebamini? Initia haec erant et primordia eorum, quae deinde feliciſſime gerebantur a Ferdinando, qui omni armorum diſciplina et arte bellandi quem non veterum Imperatorum, qui orbem terrarum ſubegerunt, aequat? aut potius, ſi animum illum omni virtute ornatum et mira lenitate atque humanitate conſpicuum ſpectamus, quem non ſuperat? Nunquam admirari deſinent homines illam repentinam omnium rerum mutationem, quam poſt Ferdinandi et Boruſſorum aduentum in caſtra Brunſuicen-

ſia accidiſſe nouimus. Vndique Galli recedere: ſaepe noſtri cum illis manum conſerere et militis Boruſſici vel ſolo adſpectu territos fugare: ſaepe vacua hoſte, qui aduentum copiarum, quarum impetum aliquoties ſenſerat, non exſpectare audebat, inuenire caſtra: vbique oſtendere: Boruſſorum eſſe, prima fronte concurrere, aduerſa vulneribus pectora ferre, nihil metuere, praeter turpem famam, nullum iis laborem inſolitum, nullum locum arduum, nullum armatum hoſtem formidoloſum eſſe. Annalibus et aeternitati commendanda, non a me commemoranda hodie ſunt, quae duce Ferdinando et ſocio Boruſſico milite foederatae copiae ſtrenue et feliciter egerunt. Teſtis huius virtutis eſt Creuelta, quae caeſum fugientemque Gallum vidit: teſtis Mindena, moleſto hoſte liberata, qui copias lingua feroces, verbis nimios, auro argentoque caelatos et diſcolori veſte fulgentes contra viros ferro horridos natosque militiae, et contra pectora animorum iraeque tacitae plena fruſtra bellum gerere, maxima clade accepta didicit: teſtes tot alia loca, ſanguine et caede Gallorum notata et aeternis victoriarum monimentis condecorata. Non ſolum enim conſociatis armis, ſed animis quoque, rem egit vterque exercitus, aemulatione generoſa accenſus, intentusque defenſioni patriae et honori Imperatorum aſſerendo. Eadem concordia, quae principum animos coniunxit, continebantur etiam copiae. O pulcherrimum vtriusque Domus conſilium, inuicem ſe omni modo iuuandi et communi hoſti reſiſtendi! O praeclaras victorias huius amicitiae ope reportatas!

Sat multis argumentis declaratam eſſe AA. intellexiſtis amicitiam, concordiam, perpetuamque coniunctionem Brandenburgicae domus cum Brunſuicenſi? Sat luculenta teſtimonia animi grati, memo-

ris,

portauit: triumphum egit. Sed nulla iucundior et melior praedicatio, quam haec: diſcordiam ſuſtulit: bellum compoſuit: mihi filium ſeruauit: patrem mihi reddidit: illi vrbis noſtrae incolumitatem debemus. Maiorem forte admirationem habet, quae multis hominibus caeſis, agris vaſtatis, vrbibus incenſis, plurimo ſanguine profuſo pax paratur: ſed amabilior profecto, ſuauior et firmior eſt pax, nunquam rupta, ſeruata potius, atque etiam magis ſtabilita: vno verbo, nullis monimentis decorata, quae diſcordiae memoriam identidem renouent. Qua igitur laude haec prudentiae et amicitiae documenta, a Brunſuicenſi domo data, digna eſſe cenſeamus! Grato agnoſceremus animo, ſi illius armis bellum feliciter geſtum, et ad glorioſum exitum deductum fuiſſet: ſi illius milite Friderici Wilhelmi copiae auctae et vtroque exercitu coniuncto res eſſent praeclare actae. Iisdem vero bonis, quae bello quaerenda erant, ſine ſanguine, ſine caede, ſine incendio impetratis, quantas tandem gratias habendas eſſe illi exiſtimatis, quae non clarius amorem erga Brandenburgicam Domum teſtari potuit, quam ſeruato flore militum, ſeruataque tot hominum vita.

Vtinam liceret huic illuſtri amicitiae exemplo plura alia addere, quae mihi in mentem veniunt! vtinam temporis ratio permitteret longiorem enarrationem foederum, quibus inter ſe pacti ſunt amicitias vtriusque domus principes, et ſtudii inprimis, quo Fridericum I. cooptationem Hannouerani ducis in principum Electorum collegium adiuuiſſe notum eſt. Sed abripit me, nec in his ſubſiſtere patitur illa fidei et conſtantis amicitiae magnitudo, quam vtraque Domus eo bello oſtendit, quo tota fere Europa, collatis aduerſus Fridericum Magnum armis, nihil aliud effecit,

 quam

quam vt virtutem, iuſtae cauſae conſcientia nixam et Dei fauori commendatam, nec vi, nec aſtu vinci poſſe oſtenderet. Cum enim pro Fide publica, pro Salute, pro Patria, Friderico noſtro, qui non niſi laceſſitus iniuria pugnat, alieno ſanguini, tanquam ſuo, parcit, hominemque non prodige homine vti debere ſibi perſuadet, bellum ſuſcipiendum eſſet, et Luneburgenſem et Brunſuicenſem Domum foedus cum illo fecisſe noſtis. Nec ignoratis, iam antea e Brunſuicenſi domo dignos gloria Guelficae ſtirpis Imperatores ad noſtras copias perueniſſe, noſtroque Regi operam in re militari praeſtitiſſe ſumma cum laude. Quid ego de Alberto dicam? aut quis de fortiſſimo principe ſatis digne vnquam loquetur, qui, cum pro iuſta Regis cauſa prope Sorram pugnaret, conſilio, manu, voce, inſignis hoſti, conſpicuus ſuis eſſet, cum hoſtes fugaret et caederet, glorioſiſſima morte extinctus eſt? Quis admirari ſatis poteſt intrepidum animum Friderici Franciſci, qui, quemadmodum ſemper non diſciplinam ſolum, ſed exemplum quoque a ſe petere, nec dicta ſolum, ſed facta quoque ſua imitari milites voluit, ita etiam prope Hohkircham et Imperatoris et militis munere functus eſt. Inclinantem Boruſſorum aciem, qui, cum non fraude et occultis inſidiis, ſed palam, ſalua fide et dignitate integra, hoſtes ſuos vlciſci ſoleant, facile tum poterant loco moueri, reſtituit: vndique irruentem hoſtium multitudinem ſuſtinuit: quo minus progrederentur illi longius, impediuit: et, cum in prima acie inuicta illa et hoſtili ſanguine infecta manu pugnaret, pulcherrimam mortem pro patria et Rege oppetiit. O! ſi liceret hic animo indulgere et vulnera ſummorum ducum atque honeſtiſſimam mortem praedicare. Magnitudinem harum rerum me diſertum facturam eſſe ſperare audeo. Verum

lius amori gratias agemus? quibus ſtudiis proſequemur paternum illius animum? Liceat nobis, maxime Regum, libere noſtram ſententiam dicere et quid de hoc Tuo beneficio iudicemus, palam profiteri. Boni conſulas ingenuam candidiſſimi amoris vocem et laetitiae exundantis verba. Geſſiſti profecto ea, quae vix mens cuiusquam aut cogitatio capere poteſt, nec, ſi multitudinem hoſtium, praeliorum et victoriarum numerum, conficiendi omnia celeritatem conſideramus, cuius res geſtae cum Tuis comparari debeant, inuenimus. Si etiam fuerunt, qui fuerunt certe pauci, qui multis bellis ſuſceptis, et magnis hoſtium copiis profligatis nominis immortalitatem adepti eſſent, quis tamen fuit, cui eadem laus, quae Tibi, deberetur, cuique ob res in bello geſtas idem amor, qui fere nunquam belli comes aut raro ſocius Imperatorum eſt, habendus eſſet? Nam illi aut ſanguinis aut honoris immani ſiti accenſi bella vicinis populis intulerunt: Tu ad impetum repellendum arma cepiſti, ſimilis, cuius poteſtatis inter nos es vicarius, Dei immortalis, qui non, niſi peccatis noſtris offenſus iratusque, fulmina mittit: illi, vt fines imperii proferrent, multos homines occidi, vrbes vaſtari, villas incendi, totas gentes omni miſeriarum genere excruciari paſſi ſunt: Tu fines noſtros defendiſti, atque iuſtitia, lenitate animi, aequitate et miſericordia ipſos hoſtes, vt, cum amare nollent, Te admirari et colere deberent, coegiſti, immo quam plurimorum animos in prouinciis hoſtium Tibi conciliaſti: illi non prius arma depoſuerunt manibus, quam, aut ſumma neceſſitate adacti, aut omnibus locis ſanguine et incendio repletis, regibus iniuſte eiectis, aliisque regionibus ſuo imperio adiunctis: Tu iuſtiſſimo bello ſumma felicitate geſto, oblatas pacis conditiones incredibili quadam animi moderatione

ne accepisti, atque hac lenitate clarissime ostendisti: non, nisi inuitum, nec, nisi pro iustae causae defensione, Te arma capessere, et lubentissime, securitate publica firmata, eadem abiicere. Si denique alios victorias suas cum ignauiae tum temeritati hostium debuisse cogitamus, si propria virtute parum valuisse quosdam et desidiosissimo otio inuolutos per alios grauiter humanum genus adflixisse legimus, et, si Te, Friderice, bella, cum exercitatissimis hostibus et peritissimis ducibus gesta, Tua prudentia et virtute administrasse consideramus, quem Te bello maiorem et armis esse dicamus? Celebrabuntur hac Tuae laudes bellicae omnium gentium litteris ac linguis, neque vlla aetas praedicare illas desinet. Sed habent tamen eiusmodi res, quamuis amplissimae maximaeque, apud exteras nationes fere plus inuidiae, quam pulchritudinis, apud posteritatem tantum admirationem: Tu vero, quod in rebus humanis iucundissimum est, amari quoque, nec solum a nobis, sed etiam ab omnibus, nepotibusque nostris cupis. Illa tropaea, atque monimenta terrorem habent et posteris formidolosa videntur: qui vero hanc felicitatem nanciscitur, vt delicium generis humani appelletur, ciuiumque amor audiat, in aeterna laude versatur; qui suorum temporum felicitatem posteritati tradit, viuit in animis hominum, et aeterno amore perfruitur: qui, vt aurei seculi auctor conditorque sit, laborat, nunquam amari et praedicari desinit. Omnibus titulis haec laus speciosior: omnibus nominibus, quae saxis inciduntur, hic amor gloriosior. Felicem igitur Te, Friderice, et vere magnum regem, qui et aliis, quae sopito bello sapienter, iuste, mansuete, amanterque egisti, et iuncta Friderico Wilhelmo Elisabetha, prosperitateque, qua nos fruimur, ad alterius seculi homines pro-

pa-

ris, candidi, semel susceptam amicitiam summa fide tuentis vtramque domum edidisse cognouistis? Ex hac vero conspiratione animorum aucta nunc et firmata auspicatissimis nuptiis, quantam spem concipere debemus? quot bona nobis, liberis nostris, et inprimis Friderico Wilhelmo polliceri possumus?

Accepisti coniugem, Friderice Wilhelme, quae non magis regiae olim dignitatis, quam laudum et curarum adiutrix et socia erit. Illius virtutes, quas a natura insitas pectori, Philippinae prudens disciplina et Caroli exemplum fouit et auxit, summam Tibi iucunditatem, nobis felicitatem conciliabunt. Optimae coniugis amor imperii olim a Te ad exemplum Friderici Magni administrandi onus leuabit, atque suo candore, vt, quae summi fastigii hominibus negata esse dicitur, amicitiae suauitate perfruaris, efficiet. Videor iam videre dies amore Elisabethae exhilaratos multoque Tibi iucundiores redditos. Videor iam videre Tuos ciues Augustae sobolis adspectu tristem mortalitatis cogitationem consolantes. Videor iam videre omnes populos felicitatem huius coniugii, foecunditatem et concordiam celebrantes, suis principibus similem fortunam precantes, eosque hinc cum nuptiarum bene contrahendarum, tum sanctae matrimonii fidei colendae exempla petere iubentes. Macte hac felicitate esto, Friderice Wilhelme et nomen Borussicum, iuuante Deo, magnis rebus gerendis, aut, quod idem est, imitatione Friderici Magni, inuictum praesta.

Salue nunc Elisabetha Christina: salue Friderici Wilhelmi coniux, Borussorum delicium, noster amor. Animis Tibi addictissimis Te complectimur, nostrumque lumen et decus et verissimum Palladium nos complecti putamus. Posteaquam e patria Tua, quae Te

votis et lacrimis proſecuta eſt, abiiſti, quanta alacritate et laetitia excepta es iis locis, per quae iter feciſti! quo plauſu inter ſecunda omina et certantia vota te ſalutauit ea vrbs, quae propius poſthac diuinas Tuas virtutes videbit et admirabitur! Vidiſti oppletas vndique vias Tuoque currui anguſtum tramitem relictum: Te ſenes mirari, laudare illam Auguſtam frontem, quaſi indicem comitatis, prudentiae, et clementiae, quae in alto pectore, tanquam in ſacrario quodam et delubro, domicilium poſuerunt, praedicare illum vultum, cuius mixta lenitati maieſtas late Reginam oſtendit, et vaticinari iuuentuti non vana gaudia: Te matronae infantibus, tenello brachio collum maternum captantibus, oſtentare: Te parentes, liberi, infantes, virgines laeto clamore ſalutare. Neque vero exultantem hanc laetitiam vnquam extinctum iri credes. Sedebit ſemper ille amabilis vultus in omnium ore, oculis, animo. Nunquam Te amare, Te colere deſinemus. Ecquando enim Tu deſines, vera mater ciuium eſſe, et virtutibus Tuis illam nobis proſperitatem ſeruare, qua nunc impenſe laetamur? Habebimus olim Reginam ſuauitate liquidiſſima Friderico Wilhelmo iucunditatem, prudentia omnibus maximam vtilitatem, comitate et amabili humanitate ciuibus incredibile gaudium allaturam. Habebimus matrem, ita conſociaturam conſilia, curas, imperium, vt tales videamus reliquos vitae dies omnes, qualem vidimus hodiernum. Habebitis etiam vos, poſteri, ſemper recentem laetandi materiam, quoties auſpicatiſſimas has nuptias recordabimini, coniugialis amoris pignora laetis oculis adſpicietis et partam hoc coniugio terris Boruſſicis felicitatem conſiderabitis.

Huius felicitatis magnitudine conſiderata, quibus laudibus Regem noſtrum efferemus? quibus verbis il-

lius

INDEX LIBELLORVM

QVI

HOC VOLVMINE CONTINENTVR.

I. Acroasis de Lipsii dicendi genere. - p. 1.

II. Oratio de dignitate, iucunditate et vtilitate studiorum humanitatis. - - p. 38.

III. Oratio die natali Serenissimae Principis Vinar. habita. - - p. 62.

IV. Oratio de viris Graec. et Latin. litterarum peritis, qui academiam Ienensem ornauerunt. p. 81.

V. Oratio, cum in Georgia Augusta Professoris munus susciperet, ab auctore habita. - p. 97.

VI. Libellus de felici audacia Horatii. - p. 114.

VII. Obseruatio de nemoribus in tectis aedium Romanarum. - - p. 174.

VIII. Epistola de minutiarum studio et rixandi libidine Grammaticorum quorundam. - p. 191.

IX. Prolusio de populari dicendi genere. - p. 226.

X. Libellus de verecundia Virgilii. - p. 242.

Excur-

Excurſus 1. de moribus paſtorum in eclogis Virgilianis. - - p. 283.

Excurſus 2. de Ecloga Virgilii quarta. p. 290.

Excurſus 3. quo Virgilii Eclogae illuſtrantur. p. 297.

XI. Programma de Friderico M. poſtgenitis caro. p. 302.

XII. Panegyricus Friderico M. in nuptiis Friderici Wilhelmi, Boruſſ. iuuentutis principis cum Eliſabetha Chriſtina Vlrica dictus. - p. 311.

I. Acroa-

pagata, vt omni aetati amabilis eſſes, effeciſti! Patere, nos has laetas ciuium voces, has lacrimas prae gaudio manantes omnibus Tuis victoriis anteponere: patere, nos libere fateri, hoc connubio pro Tuo e Fratre Diuo Nepote inito, non vnius diei gratulationem, ſed aeternum et immortalem amorem Tibi partum eſſe. O fortunatam Boruſſiam, quae celebratis his nuptiis tranquillitatem ſuam firmatam, felicitatem roboratam, ſuisque, quibus exultat, quaeque Tuo numini debet, bonis perpetuitatem additam eſſe videt!

Agamus igitur AA. Patri noſtro gratias, et cum tanta ſit huius beneficii magnitudo, vt nulla tam incredibilis dicendi copia, nullum tam diuinum genus orationis inueniatur, quo illud digne celebretur, ſentiendo magis, quam loquendo agamus. Quemadmodum Deus immortalis non exquiſitis verbis, orationis blanditiis et meditato carmine, ſed pura caſtaque mente a nobis coli cupit: ita etiam Rex noſter animum tantum ſpectabit, quibus illum declaremus, verba non valde requiret. Simus erga Fridericum animo ſemper eo, quo bonos ciues eſſe decet, quoque ſi nos adhuc fuiſſe dixerimus, ne inani gloriandi cupiditati (quid enim nos oſtentemus, qui, ſi etiam tales ſimus, nullam partem illius meritorum aſſecuti videamur?) haec oratio, ipſi Regi eo minus diſplicitura, quo magis parentes conſcientia bonae mentis, quam in liberis animaduertunt, delectantur, tribuatur, cur vereamur? Hunc igitur numini maieſtatique illius deuotum animum, fidelem, pium, promtum et alacrem ad vitam pro patria reddendam, non ſolum ſeruemus, ſed omnem quoque occaſionem, illum luculenter oſtendendi, arripiamus, immo eiusmodi opportunitatem nunquam quaerere deſinamus. Tales viuamus, tales moriamur, tales vt ſe praeſtent, liberos, nepo-

nepotes, quique ab his nafcentur, adhortemur omnes.

Actis Regi noftro gratiis, celebrata felicitate Friderici Wilhelmi, falutata Elifabetha, veneremur Deum Optimum Maximum, praefidem huius imperii et cuftodem, illumque cafta piaque mente oremus, vt fpem noftram ratam habeat, vota audiat, Borussico nomini fauere pergat, et faluo Rege, falua tota Domo Augufta, laetitiam huius diei perpetuam et aureum Friderici Magni feculum, venerabile illud amicis, amabile ciuibus, et tremendum hoftibus, aeternum effe iubeat.

Operarum errores.

p. 6. l. 31. l. *pudebit.* p. 20. l. 14. l. *iique.* p. 38. l. 3. a fin. l. *inftitiffem.* p. 43. l. 17. p. *ex* l. *et.* p. 46. l. 3. l. *eum nihil.* p. 47. l. 16. l. *leuia.* p. 48. l. 3. dele punctum poft duceret. l. 11. l. *afpiciat.* l. 19. pro *nullae* l. *nulli.* p. 63. l. 21. l. *poffet.* p. 72. l. 21. l. *tropaeum.* p. 75. l. 11. pro *curari* l. *feruari.* p. 88. l. 14. l. *immortales.* p. 99. l. 11. l. *perfuadet.* p. 106. l. 30. l. *negligerent.* p. 115. l. 29. l. *extulerunt.* p. 120. l. 18. l. *lauream.* p. 126. l. 24. l. *Caftaliam.* p. 129. l. 28. l. *μεγαλ.* p. 131. l. 7. l. *dirumpit.* p. 135. l. 31. l. *ipfe.* p. 136. l. 3. l. *Chemiam.* p. 146. l. 7. l. *quorum verborum.* l. ult. l. *remouet.* p. 162. l. 18. l. *refonat.* l. 29. l. *ἀγρίαις γνάθοις.* p. 165. l. 26. dele comma poft *παίδων.* p. 167. l. 11. l. *Herodot.* p. 168. l. 8. pro *fed* l. *et.* l. 21. *Graiûm.* p. 170. l. 16. l. *iis.* p. 172. l. 6. l. *grauantur.* p. 183. l. 3. l. *vafculis terra oppl.* p. 185. l. ult. l. *patet* pro *putes.* p. 190. l. 9. l. *domos.* p. 192. l. 17. l. *iis.* p. 209. l. 30. l. *iocis.* p. 227. l. 26. l. *complexum.* l. 33. l. *inuideret.* p. 201. l. 30. l. *fubtiliter.* p. 264. l. 22. l. *iidem.* p. 265. l. 5. l. *affentientem.* p. 268. l. 18. l. *docetur in.* p. 293. l. 2. l. *In Didy.* p. 297. l. 29. l. *multos.*